COLLOQVIA,

Sive

EXERCITATIONES LATINÆ LINGUÆ

IOHANNIS-LUDOVICI VIVIS.

Disce puer, linguæ quæ sunt abstrusa Latinæ,
Hic Liber, aut nullus, quæ dabit apta tibi.

ABERDONIÆ,
Imprimebat Eduardus Rabanus,
Anno Salutis 1639.

Georgius Guttio
1640

JOHAN. LUDOVICUS VIVES PHILIPPO, CAROLI CAES. AUGUSTI FILIO *hæridi, optimam mentem.*

LAtinæ linguæ permagnæ ſunt, & ad loquendum & ad rectè ſentiendum, utilitates. Eſt enim ea velut theſaurus quidam omnis eruditionis: quoniam magna & præſtantia ingenia Latino ſermone diſciplinas omnes conſcripſerunt: ad quas nemo poteſt pervenire, niſi per linguæ illius cognitionem. Quam ob cauſam non gravabor, inter majorum ſtudiorum occupationes, hac quoque parte pueritiæ rudimenta adjuvare. Conſcripſi in uſum Latinæ linguæ primam loquendi exercitationem, quam pueris, ut ſpero, conducibilem, tibi principi puero viſum eſt dicare: cùm propter patris tui benevolentiam erga me ſummam, tum quòd in animo tuo ad rectos mores formando optimè de Hiſpania, hoc eſt, patria mea, merebor, cujus ſalus ſita eſt in tua probitate ac ſapientia. Sed hæc à Joanne Martinio Siliceo, inſtitutore tuo, & copioſius audis & crebriùs.

SURREXIO MATUTINA.

Beatrix puella, Emanuel, Eusebius. I

IESUS CHRISTUS *exsuscitet vos à somno vitiorum. Heus pueri, estisne hodie evigilaturi?* Eus. *Nescio, quid inciderit mihi in oculos. ita videor eos habere plenos arenæ.* Beat. *Hæc est tua prima cantio matutina, & bene vetus: aperiam fenestras hasce ambas, ligneam & vitream, vt feriat clarum mane vestros amborum oculos. Surgite, surgite.* Eus. *Tam multo mane?* Beat. *Propior est meridies quàm aurora. Vis, tu Emanuel, recentẽ subuculam?* Em. *Nihil nunc est necesse: hæc est satis munda, cras sumam alteram. Cedo mihi thoracem.* Beat. *Quem? simplum? an diploidem?* Em. *Quem voles, mea nihil refert. Porrige huc simplum, vt, si sim hodie lusurus pila, minus graver.* Beat. *Hic est semper tuus mos: prius de lusu cogitas quàm de schola.* Em. *Quid tu dicis, inepta? & schola ipsa vocatur ludus?* Beat. *Ego non intelligo vestras grammaticationes & sophismata.* Em. *Da ligulas astrictorias coriaceas.* Beat. *Fractæ sunt: accipe sericas; & sic jussit tuus pædagogus. Quid jam? vin' semoralia & tibialia? quoniam est æstus?* Em. *Minime verò, dato fœminicruralia: quæso, constringe me.* Beat. *Quid? tu habes brachia fœnea, aut butyracea.* Em. *Non, sed filo tenui consuta. Hui, qualia dedisti mihi astrigmenta exarmata, & lacera.* Beat. *Memineris, te heri aleâ perdidisse integra.* Em. *Quis scis?* Beat. *Ego per rimulam ostii observabam te cum Cui manulo ludentem.* Em. *Amabo, ne id pædagogus rescis-*

cat. Be. *Imò ego narrabo, quum primum appellaris me deformem, vt soles.* Em. *Quid, si rapacem?* Be. *Quid vis, modo ne deformem.* Em. *Cedo calceos.* Be. *Vtros? longo obstragulo? an brevi?* Em. *Tectos, propter lutum.* Be. *Propter lutum aridum, quod alio nomine vocatur pulvis. Sed bene facis: nam in apertis cingulum est fractum, & fibula amissa.* Em. *Indue, rogo.* Be. *Tu ipse facito.* Em. *Non possum me flectere.* Be. *Tu quidem facilè te corvares, desidia verò tua difficilè: an deglutisti ensem, vt circulator ille nudiusquartus? adeóne es jam delicatus? quid facies grandior?* Em. *A stringe nodo laxo gemino: quod est elegantius.* Be. *Nihil minus: solveretur nodus illico, & decideret tibi calceus è pedibus: præstat vel gemino astricto, vel astricto et laxo. Sume tunicam manicatam & cingulum textile.* Em. *Minimè id quidē, sed coriaceum venatorium.* Be. *Mater vetat, vis tu omnia arbitratu tuo facere? et tu heri fregisti aciculam fibulæ.* Em. *Non poterā alioqui exfibulare. Da ergo illud puniceum ex lino.* Be. *Cape: cinge te cinctu Gallico, pecte caput prius radiis rarioribus, tum densioribus, apta pileum vertici, ne in occipitium rejicias more tuo, aut in frontem & oculo.* Em. *Prodeamus jam tandem.* Be. *Quid? illotis manibus & facie?* Em. *Ista tua tam molesta curiositate taurū jam enecasses, nedum hominem: videris mihi non puerum vestire, sed sponsam.* Be. *Eusebi, affer pollubrū cum vrceolo, funde altius: stilla potius ex epistomio, quàm profundas: elue sordes istas ex nodis digitorū, ablue os, & gargariza, frica benè cilia & palpebras, tum glandulas sub auriculis duriter, cape linteū, exterge te.* DEUM *immortalē de omnibus es sigillatim admo-*

mendus: nihilne ipse tua sponte faceres? Em. *Vah! nimiùm es importuna, & odiosa.* Be. *Et tu nimiùm scitus puer, ac formosulus. Deosculare me, flecte jam genua, & recita precationẽ Dominicam, & preces alias, vt est tibi in more, antequã pedem ponas extra cubiculũ. Vide, mi Emanuel, vti de re nulla alia cogites, dum oras. Mane paulisper, appende sudariolũ hoc de Zona, ad nares emungendas & purgandas.* Em. *Súmne satis ad arbitrium tuum compositus?* Be. *Es.* Em. *Ad meum minimè, quoniam jã tandẽ ad tuum. Ausim facere sponsionẽ, me horã vnã vestiendo consumpsisse.* Be. *Quid si vel duas? quò eras alioqui iturus? quid acturus? fossurus credo, aut araturus.* Em. *Quasi desit, quod agã.* Be. *O magnum virũ, vehementer in nihil agendo occupatũ!* Em. *Nõ hinc abis, cavillatrix? abi, aut ego te abigam hoc calceo, aut calanticam tibi detraham de capite.*

PRIMA SALUTATIO.

Puer, Mater, Pater.

SAlvus sis, mi pater; salve, mea matercula; precor vobis felicẽ hunc diem, germanuli: propitium vobis opto CHRISTUM, *sororcula.* Pa. *Mi fili, sospitet te* DEUS, *evehat ad ingentes virtutes.* Ma. *Servet te* CHRISTUS, *mea lux. Quid agis, mea dulcedo? quid vales? quomodo nocte hac quievisti?* Pu. *Rectè valeo, & placidè dormivi.* Mat. CHRISTO *gratia: propriũ hoc velit tibi esse.* Pu. *Ad mediam tamen noctem excitatus sum è dolore capitis.* Ma. *Me perditam & miserrimam, quid narras? qua parte capitis?* Puer. *Ad brechma.* Mater. *Quàm diu?* Puer. *Vix octava parte horæ: postea redormii, nec sensi amplius.* Mat. *Respiravi: nam exanimãras me.*

Pu. *Benè sit tibi. Isabellula, para mihi jentaculum. Ruscio, Ruscio, huc canicule festivissime: en vt cauda adulatur! vt se in posteriores pedes erigit! quomodo habes? quomodo vales? Heus tu, affer panis bucceam vnam aut alteram, quam ei demus: videbis lusus scitissimos. Non esuris? nihilne ediſti hodie? profectò plus est in cane isto intelligentiæ, quàm in illo mulione crasso.* Pat. *Tulliole mi, lubet mihi tecum paulis per confabulari.* Pu. *Quid, mi pater? Nam nihil mihi accidere potest suavius, quam te audire.* Pa. *Hic tuus Ruscio est belua, an homo?* Pu. *Belua, vt credo.* Pa. *Quid tu habes, cur sis homo: non ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas: hæc ille omnia.* Pu. *Atqui ego sum homo.* Pa. *Quomodo id cognoscis? quid nunc habes plus quàm canis? sed hoc interest, quod ille non potest homo fieri: tu potes, si vis.* Puer. *Obsecro, mi pater, effice id primo quoque tempore.* Pa. *Fiet, si eas, quo eunt belua, redeunt homines.* Pu. *Ibo, pater, multo libentissimè, sed vbi id est?* Pa. *In ludo literario.* Pu. *Nulla est in me ad rem tantam mora.* Pa. *Nec in me, Isabellula, audin? da huic jentaculum in cistellam.* Isab. *Ecquid nam?* Pa. *Frustum panis butyro illitum, vel ficos aridas, aut uvas passas pro obsonio, sed insolatas: nam alteræ illæ viscosæ inficiunt puerorum digitos & vestes: nisi malit cerasa aliquot, vel pruna aurea, & oblonga: insere brachiolum cistellæ, ne excidat.*

DEDUCTIO AD LUDUM.

Pater, Puer, Propinquus, Philoponus Ludimagister. III

Commenda te CHRISTO. Pu. *Dic nos, Iesu* CHRISTE, *sapientissime dementes, patientissime*

potentissime imbecilles. Quæso, mi Propinque, tu qui es versatus in studiis literarum, ecquis est in hoc gymnasio optimus institutor puerorum? Prop. *Doctissimus quidem Varro: sed diligentissimus, & vir probissimus Philoponus, nec eruditionis aspernandæ. Habet Varro scholam frequentißimam, & domi numerosum gregem contubernalium. Philoponus non videtur delectari turba, paucioribus est contentus.* Pa. *Hunc malo. Ellum in porticu gymnasii inambulantem. Fili, hoc est formatorium, & quasi officina hominum, & hic artifex formandi. Adsit tibi* CHRISTUS, *Magister. Aperi caput, puer, & flecte poplitem dextrum, sicuti es edoctus: sta jam rectus.* Phil. *Prosperus sit nobis omnibus tuus adventus: ecquid rei est?* Pa. *Hunc filiolum meum ad te adduco, vt ex belua hominem facias.* Ph. *Dabo in eam rem operam sedulam: fiet, revertetur ex pecude homo, ex nequam frugi & bonus: id verò ne dubitaveris.* Pa. *Quanti doces?* Ph. *Si puer bene proficiat, vili sin parum, carè.* Pa. *Acutè hoc dicis, & sapienter, vt omnia. Partiamur inter nos igitur hanc curam, tu, vt sedulò instituas, ego, vt benignè compensem tuam operam.*

EUNTES AD LUDUM LITERARIUM.

Cirratus, Prætextatus, Titivillitium, Vetula, Teresula, Oluscularia. IV

VIDETUR *tibi tempus eundi ad ludum?* Præt. *Planè tempus est, vt eamus.* Cir. *Non satis teneo viam, credo esse in illo vico proximo.* Præ. *Quoties illuc itasti?* Cir. *Ter aut quater.* Præ. *Quando cœpisti eò itare?* Cirr. *Nudius tertius, vt puto, aut quartus.* Pr. *Quid igitur? an non id satis est ad ascendam*

cendam viam? Cir. *Non, etiamsi eam centies.* Pr. *Ego vero, vel si semel, nunquam deinceps aberrarẽ. Sed tu vadis in vitas, & ambulas lusitans, nec viam aspicis, nec domos, nec vlla signa, quæ te postea admoneant, qua sit flectendum, quæ via tenenda. Ego hæc omnia observo diligenter, quia lubens eo.* Cir. *Puer hic habitat in proximo scholæ. Heus Titivilitium, quà itur ad ades tuas?* Tit. *Quid vis? venis à matre tua? mater mea non est domi, ac ne soror quidẽ: ambæ sunt profectæ ad divæ Annæ.* Cir. *Quid illic agitur?* Tit. *Heri fuerunt encænia: hodie invitavit eas mulier quædam casearia ad edendum lac coagulatũ.* Cir. *Et tu cur non es vnà profectus?* Ti. *Relictus sum hîc, vt servem domũ: frater meus puerulus abductus est ab eis illuc: sed pollicitæ sunt mihi, se de reliquiis allaturas partes in quasillo.* Cir. *Quin tu igitur manes domi?* Ti. *Continuò, revertar, nunc prodeo lusum talis cũ filio hujus cerdonis: vultis & vos venire?* Cir. *Eamus sodes.* Pr. *Minimè vero id quidem.* Cir. *Quid ni?* Pr. *Ne vapulemus.* Cir. *Vah, non memineram.* Ti. *Nõ vapulabitis.* Cir. *Quî scis?* Ti. *Quia magister vester perdidit heri ferulam.* Cir. *Hem, quomodo nosti?* Ti. *Hodie de domo nostra audiebamus ejus vociferationem quærentis ferulã.* Cir. *Amabo, ludamus parumper.* Præt. *Tu ludito, si vis: ego ibo solus.* Cir. *Ne me apud præceptorẽ, quæso, deferas, dic me detineri domi à patre.* Pr. *Vis mentiri me?* C. *Quidni, propter sodalẽ?* Pr. *Quia in Templo audivi concionatorem affirmantẽ, mendaces esse filios diaboli, veraces* Dei. Cir. *Diaboli vero? apage. Per signũ sanctæ crucis, ab inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Pr. *Non potes liberari, si ludas, quem es deserturus.*

Cir. *Eamus, tu valeto.* Ti. *Hui, pueri isti nõ audent paulisper ludere, alioqui cædendi.* Præ. *Ille est puer perditus, & evadet sceleratus vir. Sed quomodo elapsus est nobis? nec rogavimus, quà esset via ad ludum, revocemus.* Cirr. *Abeat in malã rem: nolo sit mihi rursum incitamẽto ad lusum: percontabimur ab hac vetula. Mater, nostine, qua itur ad scholam Philoponi?* Vet. *Juxta eam scholã habitavi ego sex annis, è regione peperi filium natu maximũ, & filias duas, transite plateam hanc villæ rasæ: inde est angiportus, tum plateam domini Veterani, hinc flectite ad dexteram, tum ad sinistram: ibi percontamini: non procul abest schola.* Cir. *Vah! nõ poterimus omnia retinere.* Vet. *Teresula, deduc istos ad ludum Philoponi: nam mater hujus est, quæ dabat nobis linũ pectendum et nẽdum.* Ter. *Quid (malum) Philoponi? Quid hominis est hic Philoponus? quasi ego norim: loquerisne de illo, qui resuit calceos, juxta cauponam viridem? an de præcone in vico Gigãtis, qui alit equos meritorios?* Net. *Sat scio: nũquam tu nosti ea, quæ sunt opus, sed ea, quæ ad rẽ nihil faciunt. Inertissima. Philoponus est ludimagister ille senex, procerus, lusciosus, è conspectu ædium, quas olim habitavimus.* Ter. *Ah! jam redit in memoriam.* Vet. *In reditu trãsi per macellũ, & eme acetarium, & raphanum, cerasa: cape fiscellã.* Cir. *Duc nos etiam per forum olitorium.* Ter. *Hac ibitis breviùs.* Cirr. *Nolumus isthac ire.* Ter. *Quî sic?* Ci. *Quia momordit me illic canis ex domo pistoris: quin & volumus te comitari ad forũ.* Ter. *Reverteus faciam iter per macellũ (nam procul adhuc absumus) & emã, quæ sum jussa, postquã reliquero vos in ludo.* C. *Nos cupimus videre, quanti emes cerasa.*

Ter. *Numis senis emimus libras singulas: sed quid ad te?* Cirr. *Quia soror jussit me hodie mane sciscitari, & est illic vetula quædam olusculariа, de qua si emeris, scio eam & vendituram minoris quàm alias, & daturam nobis vel cerasa aliqua, vel thyrsum lactucæ: nam filia ejus ministravit aliquando matri & sorori meæ.* Ter. *Ne dispendium hoc viæ constet vobis flagris aliquot.* Cirr. *Minimè verò: nam satis veniemus tempori.* Ter. *Eamus: tantulum deambulavero, quæ misera consumor sedendo domi totos dies.* Præ. *Quid facis? an tantùm sedes ociosa?* Ter. *Ociosa verò? minimè certè id quidem: neo, cónglobo, glómero, texo, putas vetulam nostram passuram, ut ociet festos dies exsecratur, in quibus est cessandum.* Præ. *Festi dies num non sunt sacri? quomodo ergo exsecratur illa rem sacram? vult ne ipsa exsecrari, quod est sacrum constitutum?* Ter. *Censen' me didicisse Geometriam, ut hæc possim vobis edissere?* Cir. *Quid rei est Geometria?* Ter. *Ego nescio, nos habebamus vicinam, quæ vocabatur Geometra: hæc semper vel erat ipsa in Templo cum Presbyteris, vel Presbyteri domi ejus cum illa: itaque erat, ut ferebant sapientissima. Sed ventum est in forum olitorium: ubi est tandem vestra vetula?* Cir. *Id ego circumspiciebam. Sed eme ab hac, ea lege, ut nobis det aliquid corollarii. Heus amita, puella hæc emet de te cerasa, si aliquot nobis donaveris.* Olusc. *Nihil mihi donatur, omnia venduntur.* Cir. *Nec sordes istæ donantur tibi, quas habes in manibus & collo.* Olusc. *Nisi procul hinc abi, impudenticule, has sordes sentient genæ tuæ.* Cirr. *Quomodo sentient meæ genæ, quum tu habeas in tuis manibus?* Ol. *Redde cerasa,*

furun-

furuncule. Cir. *Sumo exemplum: nam volo emere.* Oluſc. *Eme igitur.* Cir. *Si placuerint, quanti?* Ol. *Numo libram.* Cir. *Ah, acerba ſunt, tu anus venefica, vendis hic populo ceraſa ſtrangulatoria.* Ter. *Abeamus hinc ad ludum: nam vos argutiis veſtris intricaretis me, & detineretis diu. Jam, vt puto, mea vetula furit domi ob moram meam. Hoc eſt oſtium, pulſare.*

LECTIO.

Præceptor, Luſius, Æſchines, Pueri. V

PRæc. *Cape tabellam abecedariam manu ſiniſtra, & radium hunc dextra, quo indices ſingula elementa, ſta rectus, pileum pone ſub axilla, audi attentiſſimè, quemadmodum ego has literas nominabo: ſpecta diligenter, quo geſtu oris. Vide, vt eodem prorſum modo reddas, quum repoſcam. Sis mecum. Jam audiſti. Sequere nunc me ſigillatim præeuntem. Tenes probè?* Luſ. *Videor mihi ſic ſatis.* Pr. *Vnaquæque iſtarum vocatur litera: ex his quinque ſunt vocales,* a,e,i,o,u, *quæ ſunt in vocabulo Hiſpano* oveia, *quæ eſt* ovis: *memineris hujus verbi. Hæc cum vnaquelibet, vel pluribus aliarum: ſyllabam efficit: ſine vocali non ſit ſyllaba, & vocalis ipſa non rarò eſt ſyllaba. Itaque aliæ omnes conſonantes nominantur: quæ per ſe nihil ſonant, niſi adhibita vocali. Habent enim ſonum quendam imperfectum & mancum,* b,c,d,g, *quæ ſine* e *parum ſonant. Jam ex ſyllabis fiunt voces ſeu verba: ex his ſermo, quo bellua omne carent: nec tu à bellua differes, ni probè ſermonem diſcas. Evigila, & nava ſedulam operam. Ito, ſede cum tuis condiſcipulis, & ediſce, quæ præſcripſi.* Luſ. *Non ludimus hodie?* Æſc. *Non: nam dies eſt operarius. Ebo,*

in veniſſe te huc arbitraris luſum? nõ eſt hìc ludendi locus, ſed ſtudendi. Luſ. *Cur ergo ludus nominatur?* Æs. *Nominatur quidẽ ludus, ſed literarius: quia literis eſt hic ludendum, alibi pila, trocho, talis: et Græcè audivi appellari ſcholã, quaſi ocium: quòd verum ſit ocium & animi quies, ætatem in ſtudiis agere. Sed ediſcamus, quæ injunxit inſtitutor, ſummiſſo murmure, ne alii aliis ſimus impedimẽto.* Lu. *Avunculus meus, qui aliquando dedit operã literis Bononiæ, docuit me, meliùs memoriæ infigi quæ velis, ſi altiùs pronuncies, idque confirmari auctoritate neſcio cujus Plinii.* Æſc. *Si quis ita velit ediſcere ſuas formulas, in hortos ſecedat, aut in cœmiteriũ Tẽpli: ibi clamet licet: quoad excitet mortuos.* Cor. *Pueri, hoccine eſt ediſcere? garrire, jurgari. Agite, convenite ad præceptorem omnes juſſu ejus.*

REDITUS DOMUM ET LUSUS PUERILIS.

Tulliolus, Corneliola, Mater, Scipio, Lentulus, Puer, Puella. VI

COrn. *Proſperè redieris, Tulliole, libet pauli per luſitare?* Tull. *Nondum: ſtatim.* Cor. *Quid habes negotii?* Tull. *Recolere, quæ magiſter, memoriæ ut cõmendarem, mandavit.* Co. *Quæ tandẽ?* Tul. *Aſpice.* Cor. *Hui, quæ notæ ſunt iſtæ? credo, eſſe formicas depictas: mea mater, quot formicas & culices adfert Tulliolus pictos in tabella?* Tul. *Tace, inſana; ſunt literæ.* Cor. *Quæ vocatur hæc prima?* Tul. A. Co. *Cur prima eſt magis* A, *quàm hæc altera?* Mat. *Cur tu es magis Corneliola, quàm Tulliolus?* Co. *Quia ſic vocor.* Ma. *Et illæ literæ ad eundẽ modum. Sed ito jam luſum,*

lusum, mi fili. Tul. *Hic ponò tabellam meam & radium: si quis attigerit, vapulabit à matre: nonne mea matercula?* Ma. *Etiam, mi fili.* Tul. *Scipio, Lentule, adeste lusuri.* Scip. *Quam lusionem.* Tull. *Nucibus ludemus ad conjectum scrobiculi.* Lent. *Non habeo nuces, nisi paucas, & eas quassas ac putres.* Scip. *Ludamus putaminibus nucũ.* Tull. *Quid mihi ea proderunt, etiam si lucrer viginti? nullus est intus nucleus, quem edam.* Scip. *Ego verò, dum ludo, non comedo: si quid volo comedere, matrem adeo. Istanucum, putamina sunt apta ad exstruendas formicis ediculas.* Lent. *Ludamus par impar aciculis.* Tull. *Affer potiùs talos.* Scip. *Affer, Lentule.* Lent. *Ecce vobis tali.* Tul. *Quàm sunt pulverulenti & immundi, nec satis purgati à carne, & politi: jacias.* Sc. *Pro primatu ludendi.* Tull. *Ego sum primus: quid ludimus?* Sc. *Astrigmenta.* Len. *Ego nolo mea perdere: nam domi cæderer à pædagogo.* Tull. *Quid vis ergo perdere, si vinceris?* Lent. *Talitra.* Ma. *Quæ est ista humi abjectio? (deteritis vestes omnes & calceos,) tum loco immundissimo: quin verritis priùs pavimentum, & sedetis? affer scopas.* Tul. *Quæ erit igitur sponsio?* Scip. *Aciculæ in singula puncta.* Tull. *Imò binæ.* Lent. *Ego nõ habeo aciculas; deponam, si vultis, pedunculos ceraſorũ pro aciculis.* Tu. *Apage, ludamus ego & tu, Scipio.* Sc. *Ego ausim sorti meas aciculas credere.* Tul. *Da mihi talos in manũ, vt jaciam primus: en vici sponsionẽ.* S. *Minimè verò: nam non ludebas serio.* Tull. *Quis unquã ludit serio? etiam dicas album nigrum?* Sc. *Cavillare, quantũ voles, nõ auferes modò aciculas.* Tull. *Age, remitte tibi hanc manum: ludamus jam pro præmio: adsit decretæ sors.*

Scip. *Ficus*

Scip. *Victus es.* Tull. *Auferto.* Lent. *Cedo talos.* Tul. *In hunc jactum omnia.* Len. *Non recuso.* Pu. *Ad cœnam, pueri: nunquámne facturi estis ludendi finem?* Tul. *Nunc incipimus: ista jam de fine loquitur.* Corn. *Ludi hujus jam tædet: ludamus calculis discoloribus.* Tul. *Pinge tu nobis vrbes in hoc latere, carbone aut gypso.* Sc. *Ego malo cœnare, quàm ludere; & discedo, aciculis meis omnibus exutus fraude vestra.* Tul. *Memineris, te heri Cethegum spoliasse. Nullus vbique potest felici ludere dextra.* Cor. *Adfer, quæso, folia lusoria, quæ invenies sub abaco ad sinistram.* Sc. *Aliàs id quidè: nunc non vacat: nam, si diutiùs morer, timeo, ne pædagogus meus iratus, incœnem me mittat cubitum. Tu, Corneliola, habe nobis parata folia isthæc in crastinum sub horam vesperam.* Cor. *Si licebit nobis per matrem, satiùs est nunc ludere, dum sinimur.* Sc. *Satiùs est nunc cœnare, dum accersimur.* Pu. *Et mihi nihil datis, quæ vos spectavi?* Cor. *Daremus, si judicasses: da tu nobis potiùs, quæ nostris lusionibus te delectasti.* Pu. *Heus pueri, quando estis venturi? cœna est semicomesa; propè est, vt, sublatis carnibus, apponamus caseum et poma.*

REFECTIO SCHOLASTICA.

Nepotulus, Piso, Magister, Hypodidascalus, Architriclinus, Lamia, Florus. VII

VIvitisne hic lautè? Pis. *Quid isthuc verbi est? lavamus quotidiè manus ac faciem, & quidem crebrò. Mundities enim corporis & sanitati & ingenio confert.* Nep. *Non id quæro: sed, an edatis & bibatis ex animi vestra sententia?* Pi. *Non nè edimus ex animi sententia, sed ex palati sententia.* Ne. *Di-*

co, an, vt vultis? Pi. Maximè, nempe cum fame: & qui vult, edit; qui non vult, abstinet. Ne. Surgitis à mensa famelici? Pi. Non omnino saturi: nec expedit. Belluarum enim est expleri, non hominum. Regem quendam sapientissimum narrant nunquam sine appetitu accubuisse, nunquam surrexisse saturum. Ne. Quid editis? Pi. Quæ habemus. Ne. Putabam, vos esse, quæ non habeatis. Sed quæ sunt ista tandem, quæ habetis? Pi. Molestum percontatorem! quæ dantur. Ne. At quæ dantur? Pi. Jentamus de manè, sesquihora, posteaquam surreximus. Ne. Quando surgitis? Pi, Ferè cùm sole, qui est dux Musarum, & aurora gratissima Musis. Silatum nostrum est frustum panis autopyri: & paululũ butyri, aut fructuũ aliquid, quales anni tempus suppeditat. Prandium, olus coctivum, vel pultes in pultariis, aliquid pulmentarii carniũ. Rapæ modo, modò brassicæ, amylum, similago, oryza: tum diebus pisculentis lac serosum in gabbatis, è quo sit butyrũ expressum, injectis aliquot turundis panis: piscis recens aliquis, si sit in foro piscario precii tolerabilis: sin secus, salsamẽtum probè maceratũ, hinc pisa, aut cicera, aut lentes, aut fabæ, aut lupini. Ne. Quantum cuique ex his? Pi. Panis, quantum avemus; obsoniorum, quantum est satis, non ad explendum, sed ad alendum. Amplissimas epulas alibi quæruto, non in schola, vbi ad virtutem formantur animi. Ne. Quid bibitis? Pi. Alii frigidam & liquidam: alii cervisiam tenuem, panci & raro vinum, & bene dilutum. Merenda est, sen (si id mavis) antecœnium, aliquid panis & amygdalarum, seu avellanarum, ficorum arescarum, uvarum passarum: aut, si sit æstas, pyrorum aut malorum, cerasorum,

rasorum, aut prunorum. Quum verò animi gratiâ rus proficissimur, tum edimus lac, vel liquidum, vel coactum, caseum recentẽ, cremorem, lupinos lixivio maceratos, pampinos & alia, quæ villa suggerit. Cœnæ caput est acetarium concisum, sale aspersum, irroratum oleo olivarum ex gutto, aceto etiam infuso. Ne. *Quid? oleo nucum, aut raparũ?* Pi. *Apage rem insuavem, & insalubrem: tum in lata paropside aulicoctia vervecina, jurulenta cum prunis passis, aut radiculis, aut herbulis, quæ sint pro intrito: interdum tucetum saporis scitißimi.* Ne. *Quo condimento?* Pi. *Fame, omnium optimo & sapidissimo: hinc certis diebus hebdomadis aliquid aßi, potissimũ vitulinæ, hœdinæ, interdum in vere pro secunda mensa raphani perpusillũ, et casei non putris, nec veteris, sed recentis, qui est, quàm vetus, alibilior: pyra, mala, persica, cydonia. Diebus, quêis carne fas non est vesci, habemus pro carnibus ova assa, aut frixa, aut elixa, singula per se, aut in libum cõmista in sartagine, aceto, aut omphacio, non tam infuso, quàm instillato: paululum interdum piscium; & caseo succedunt nuces.* Ne. *Quantum cuique?* Pi. *Bina ova singulis, & binæ nuces.* Ne. *Quid? à cœna nunquámne comessamini?* Pi. *Sæpius.* Ne. *Quid, quæso? nam id est suavissimũ.* Pi. *Convivium Syri apud Terentium, aut aliquòd aliud ex illis lautißimis Athenæi, aut similium, quorum meminerunt historiæ. Utrùm censes, nos porcos esse an homines? qui ventriculi, quæ valetudo sufficeret, post quaternas refectiones comessari? Heus tu, schola hæc est, non saginarium. Dicunt etiam, nihil esse perniciosius valetudini, quàm bibere, quũ statim sis iturus cubitum.* Ne. *Licebitne cœnæ vestræ interesse?*

tereſſe? P. Facilè; modo veniâ petitâ à præceptore: quã ſcio illũ daturũ nõ gravatè: nam ſolet, alioqui pravæ eſſet educationis, ingerere te convivio, Magiſtro inſcio: &, qui te adduceret, nihil aliud quàm probrũ & pudorem contraheret apud cõdiſcipulos. Mane paulisper. Magiſter, licebitne cum bona tua venia, puerum quendam, mihi notum, adhibere noſtræ cœnæ? M. Maximè, non erit moleſtus. Pi. Habea gratiam. Hic, quem vides geſtantẽ mantile pro focali, eſt Architriclinus hujus hebdomadæ: nã hebdomadarios habemus hìc Architriclinos, ut reges. Ar. Lamia, quota eſt hora? La. Horas nõ audivi à tertia, intentus cõpoſitioni epiſtolæ. Florus meliùs id nôrit, qui toto hoc pomeridiano tempore librum non vidit, neq; chartã. Flo. Amicũ teſtimonium, & apud Magiſtrum iratũ valdè utile. Sed quî potuiſti tu id animadvertere, immerſus (ut ais) compoſitioni epiſtolari? planè malevolentia te coëgit mentiri. Gaudeo profectò, inimicum meum pro mendaci haberi. Si quid me poſthac voluerit calumniari, carebit fide. Ar. Nõ potero alicundè cognoſcere de hora? Anthrax, tranſcurre ad divi Petri, & inſpice horas. An. Index ſignet jam ſextam. Ar. Sextã verò? Eia pueri agite, eia conſurgite, abjicite libros: vel quò cervi cornua. Parate menſas, inſternite, apponite ſedilia, mantilia, orbes, quadras, panẽ, dicto citius volate, ne tarditati noſtræ inſtitutor ſuccenſeat. Prome tu cerevi ſiam, tu hauri aquã de ciſterna, appone ſcyphos: quid iſthuc rei eſt? tã obnubilatos affert? refer in culinã, ut famula eos fricet & extergat probè, quò ſint nitidi & fulgentes. Pi. Nunquam tu hos perfeceris, quã diu ſimiam hanc habebimus miniſtrã culinariam: nunquã audet fortiter confricare, quæ mun-

dat, ita timet suis digitis, nec abluit, nisi semel, & tepida. Ar. *Quin admones de eo præceptorē?* Pi. *Satius est queri apud famulā atriensem: nam in ejus manu est, mutare famulas culinarias. Sed eccum præceptorem. Tu ipse perluite hos calices, frica folio fici, vel vrticis, arena, aqua, ne quid hodie habeat Magister jure reprehendendum.* Ma. *Sunt parata omnia? est aliquid, quod nos remoretur?* Ar. *Nihil omnino.* Ma. *Ne postea facturi simus intervalla magna inter missus.* Ar. *Missus vero, missū potius dixeris, & eum exiguum.* M. *Quid tu mussitas?* Ar. *Dico, vt assideas, esse tempus, & propemodū corrumpi cœnam.* M. *Pueri, abluite omnes manus & os. Vah, quod mantile? qui hic se extergunt, vbi mundantur? curre, affer aliud purius. Sedeamus more solito: Est is puer conviva noster?* Pi. *Est, here.* M. *Cujas est?* P. *Flander.* M. *Ex qua vrbe illius provinciæ?* P. *Brugis.* M. *Recipe illū supra te. Expediat quisq; cultellum suum, & purget quisq; suum panē, si quid hæret vel cineris, vel carbonū in crusta. Sacret mensam, cujus est munus hac hebdomade.* Fl. *Pasce animos nostros,* CHRISTE, *charitate tua, qui benignitate tua alis vitas omnium animantiū: sancta sint* DOMINE, *hæc tua munera nobis sumentibus, vt tu, qui ea largiris, sanctus es: Amen.* M. *Sedete, quantum licet, laxè, ne comprimatis mutuo: quandoquidē est satis loci. Et tu habes cultellum Brugensis?* Pi. *Prodigium: Flander sine cultello: & quidē Brugensis, vbi cuduntur optimi.* Nep. *Mihi verò cultello nihil est opus, dentibus franga mordendo, vel digitis buccellatim cōminuam.* Hy. *Ferunt illud de morsibus tum gingivis, tum candori dentium esse perutile.* M. *Vbi fecisti Latinæ linguæ tyrocinium? nam nō videris mi-*

hi prave instistutus. Ne. *Brugis, sub Joanne Theodoro Nervio.* Mag. *Viro diligenti, docto, probo. Brugæ elegãtissimæ, nisi quod pereũt indies vitio plebis profusissimæ, quod dolendum est. Quãm pridẽ illinc venisti?* N. *Nudius sextus.* M. *Quam nuper cœpisti studere?* N. *Ab hinc annos tres.* M. *Nõ potest te profectus pœnitere.* N. *Merito, nam ut habui Magistrũ non pœnitendum.* M. *Sed quid agit Vives noster?* N. *Dicunt, eum agere athletã, non tamen athletice.* M. *Quid isthuc rei est?* N. *Quia luctatur semper, sed parum fortiter.* M. *Cum quo?* N. *Cum suo morbo articulari.* M. *O luctatorẽ dolosum, qui primũ omnium invadit pedes?* Hy. *Imò lictorẽ sævũ, qui totum corpus constringit. Sed tu quid agis? quid cessas? videris huc spectatum venisse, non cœnatum. Nemo vestrũ attingat pileum inter cœnandum, ne quis capillus involet in patinas, cur non tractaris hospitem comiter?* Hy. *Nepotule, præbibo tibi.* N. *Præceptor, excipio animo libentissimo.* H. *Exinanias calicẽ tuum, quãdoquidẽ exiguus haustus restat.* Ne. *Hoc esset mihi novũ.* M. *Quid? nõ exinanire? sed tu, hypodidascale, quid dicis? quid affers novi super cœna?* H. *Ego verò nihil dico, sed hisce duabus horis multa cogitavi de arte grãmatica.* M. *Quæ tandẽ?* H. *Recondita sanè, & ex penetralibus disciplinæ. Primùm, cur grãmatici posuerunt tria genera in arte, quum sint tantùm duo in natura? aut cur natura non producit res neutrius generis, sicut masculini & fœminini? non possũt causam exculpere tanti mysterii. Deinde philosophi dicunt, esse tantùm tria tempora: ars nostra ponit quinque: ergo ars nostra est extra rerum naturã.* M. *Imò tu ipse es extra rerum naturam: nam ars in re-*

rum natura est. H. *Si ego sum extra rerũ naturam, quomodo possũ comedere hũc panẽ, & has carnes, quæ sunt in rerũ natura?* M. *Tantò tu deterior, qui venis ab altera rerũ natura, vt comedas, quæ sunt in hac nostra.* H. Παράφθεγμα ἀπροσδιόνυσον: *aliam ego vellẽ solutionẽ mearũ qũæstionũ. Vtinã haberemus nunc Palæmonẽ aliquem, aut Varronẽ, qui has quæstiones posset profligare!* M. *Quin potiùs Aristotelẽ, aut Platonẽ? Habes aliquid aliud?* H. *Heri vidi scelus capitale admitti. Ludimagister vici recti, capro olidior, qui in phrõtisterio suo in pedore & fœtore docet auditores diobolarios, ter aut quater pronũciavit volucres accẽtu in penultima: ego verò miratus sũ terrã illi nõ dehiscere.* M. *Quid aliud decebat talem Ludimagistrũ dicere? & est alioqui in formulis grammaticis valdè detritus. Sed tu in re levi nimiũ tumultuaris, & facis tragœdiam ex comœdia, seu mimo, veriùs.* H. *Equidẽ absolvi pensum meum: nũc tuæ sunt partes, dic tu vicissim aliquid inter cœnã.* M. *Nolo, ne tu mihi vicissim* [illegible] *Jussulẽta hæc jã cõglaciant: affer foculũ mensarium, excalfacite aliquantũ priusquã panẽ intingatis. Raphanus hic non est esui, adeò est lẽtus, nec minùs lẽtæ sunt radiculæ jussulẽtæ.* H. *Lentorẽ profectò nõ à macello attulerunt, sed hîc cõtraxerunt in nostrò penore, qua cella nihil est penui incõmodius. Nescio quid isthuc rei est, semper afferũtur huc ossa emedullata.* M. *Parũ habent ossa medullarũ sub lunã silẽtẽ.* H. *Quid quum est plena?* M. *Plurimũ.* H. *Tũ verò ossa nostra habent minimũ, seu nihil veriùs.* M. *Non exsorbet nobis medullas luna, sed nostra lamia: nimis hîc indidit piperis & zingiberis &*

ris: & in jure hoc, & toto acetario, nimiũ mẽtæ, petroselini, salviæ, erucæ, nasturtii, hyssopi. Nihil puerorum & adolescentum corporibus æquè damnosum ac cibi, qui interiora fervefaciunt. Arch. *Quib⁹ igitur ex herbis velles confici?* Mag. *Lactucis, buglossa hortẽsi, & portulaca, & petroselini aliquid admisceri. Heus tu, Gangolfe, ne extergas labra manu aut manica, sed simul ipsa, simul manũ mantili: nã ideo tibi datur. Carnes ne attingas, nisi ab ea parte, quã tibi es sumpturus. Tu, Dromo, nõ animadvertis, te manicas tuas inficere pingui carniũ: reduc eas, si sunt apertæ, ad humeros: si non sunt, corrũga, vel cõplica ad cubitũ, quæ, si relabuntur, affige acicula, seu, quod magis te decet, spina. Tu, dominaster delicatule, in mensam incumbis: ubi id didicisti? in hara quapiã. Heus, subjicite ejus cubito pulvillũ. Architriclino, vide, ne analecta hæc pereant, recondo in prõptuarium, tolle primum, omnium salinũ, hinc panẽ, tum lances, discos, mantilia, postremo mappã: mundet quisq; suum cultellũ, & reponat in vaginam. Heus tu, Conciole, ne scalpas dentes scalpello: nam est noxium: conficito tibi dentiscalpium pennula, vel bacillo tenui acuminato: & scalpe modicè, ne gingivas scarifices, & sanguinem elicias. Consurgite, & abluite manus, priusquam recitetur gratiarum actio. Amove Mensam, voca ministram, ut pavimentum hoc scopis verrat. Agamus* CHRISTO *gratias, præeat verba, qui sacravit Mensam.* Fl. *Pro cibo temporali gratias agimus,* CHRISTE DOMINE, *temporarias. Fac ut pro immortalitate agamus æternas. Amen.* Mag. *Ite lusum, & confabulatum, & deambulatum, quò libuerit, dum licet per lucem.*

Nugo, Graculus, Turdus, Bambalio. VIII

ASsideamus in hac trabe: tu, Gracule, è cõspectu, in saxo illo: modo ne impedimento sis, quò minùs cernamus prætereuntes: apricemur nos ad hũc parietẽ, egregiè soli ostentum. Quàm grandis truncus, & cui usui? Turd. *Ut nos hìc sedeamus.* Nug. *Oportet fuisse procerissimam & latam arborẽ, vnde est sumtus.* T. *Quales sunt in India.* Grac. *Quî scis? fuisti tu in India cum Hispanis?* T. *Quasi scire aliquid de regione quapiam non possis, nisi in ea fueris. Sed dabo tibi auctorẽ meum. Plinius scribit, in India crescere ad eam altitudinẽ, quæ non possint jaculo superari, & gens illa quidẽ sumtis nõ tarda pharetris, vt ait Virgilius.* N. *Scribit etiam Plinius, turmã equitum condi sub ramis.* T. *Nemo id miretur, qui scirpos illius regionis consideret, quibus infirmi fulciunt gradum, divites duntaxat.* G. *Heus, quota est hora?* N. *Nulla: nam horarum tintinabulum nunc funditur: adfuisti?* G. *Non sum ausus: nam aiunt rem esse periculosam.* N. *Ego interfui, & vidi innumeras mulieres prægnantes transilire canalẽ fusionis, qui est sub terram conditus.* T. *Audivi hoc illis esse salutare.* G. *Ea est colûs philosophia, vt dicunt: sed de hora quærebam.* N. *Quid tibi opus est hora? si quid vis agere, dum est opportunitas, est hora. Sed vbi est horologium tuum viatorium?* G. *Excidit mihi nuper, quum fugerẽ canẽ holitoris post decerpta pruna.* T. *Ego te currentẽ vidi de fenestra: sed quo te recepisses, spectare nõ potui, quia impedimento mihi erat hortus pensilis, quẽ ibi mater affixit patre invito, & multũ reclamante: mater vero, in proposito constans, obtinuit, ne tolleretur.* N. *Quid tu? tacebas?* T. *Flebã tacitus: quid enim*

aliud

aliud agerẽ, dissẽtientib⁹ mihi charissimis capitibus? tametsi mater jubebat me ab se petere, & clamare strenuè: sed mihi non erat cordi quicquam adversus patrem mutire. Ergo missus sum ad schola quatuor cõtinuis diebus jejentatus a matre irata, & dejerante, meno esse ex se natum, sed cõmutatum a nutrice, de quo ait dicturam se nutrici diem apud prætorẽ capitalẽ. N. Quid rei est prætor capitalis? an non prætor omnis habet caput? N. Quid ego scio? sic illa dixit. G. Hem! qui sunt isti penulati & ocreati? N. Galli sunt. G. Quid? éstne pax. T. Bellum narrabant furere, & quidẽ atrox. G. Quid afferunt? T. Vinũ. N. Exhilarabant multos. G. Scilicet, nõ solum vinũ exhilarat, sed vini mentio & recordatio. N. Verosor utiquè: meg nihil refert, qui aquam bibo. G. Nunquã facies bonũ carmen. T. Nosti illam mulierẽ. G. Non quena est? T. Aures habet gossipio obturatas. G. Quid ita? T. Ne quid audiat, qui a malè audit. N. Quùm malè, pessimè audiũt auribus patentibus, & bene perforatis. T. Credo huc pertinere, quod est apud Ciceronẽ in Tusculanis quæstionibus: Surdaster erat Marcus Crassus, sed illud potius, quòd malè audiebat. N. Non dubium est, quin hoc ad infamiam sit referendũ. Sed heus tu, Bambalio, invenisti tuas Tusculanas quæstiones? Bamb. Etiam, apud propolã: adeò interpolatas, ut nõ agnoscerẽ. N. Quis surripuerat? B. Varinius: quod illi malè sit. G. Vah hominẽ manibus adunci & picatissimis: ne admittas eas unquam ad tuas capsas, nec ad scrinia, si vis omnia esse salva. Ne scis, illum crumenisecã existimari ab hominib⁹, & de crumenisecio accusatũ apud gymnasiarchã? N. Soror puellæ illius cujus est heri gemellos. G. Quid narrũ? Mulier

quadã via salariã, ad leonẽ galeatũ, peperit nudiusfertius tergeminos. Nug. Plinius dicit, ad septimum posse procedi. Turd. Quis vestrũm audivit de vxore comitis Batauiæ? quæ ferũt uno partu tot edidisse, quot sunt in anno dies, ex imprecatione mendicæ cuiusdã. Gr. Quid isthuc fuit de mendica? Tu. Mendica hæc, ut ideris onusta, petiit ab hac comite stipẽ: illa, vbi conspexit tot pueros, convicio illã abegit, scortũ vocitans: negabat enim posse fieri, vt ex uno viro tantã sobolẽ susciperet. Innocens mendica precata est divos, vt, si sæcastã & purã scirent, darent comiti ex marito suo tot fœtus uno conceptu, quot sunt in anno dies, & ita contigit: ostendit sexq; propago numerosa illa in oppido quodã illius insula. Gr. Malo credere, quã exquirere. N. Omnia sunt DEO possibilia. G. Imò verò, facillima. N. Nõ nosti illũ onustũ retibus, comitatũ canibus, cum causia & peronibꝰ, vehementẽ cãtherio strigosissimo? T. Estne Manius versificator? N. Est plane. T. Quænã tanta metamorphosis? N. Ex Minerva transiit ad Dianã, id est, ab honestissima occupatione ad inanẽ & stultum laborẽ. Pater ejus mercimoniis faciundis auxerat rẽ: hic paternam artẽ dedecori sibi esse dicit, vertit se ad alẽdos equos, & venationẽ, nõ aliter ratus posse nobilitatẽ generis venari. Nam, si quid ageret vtile, nõ haberetur pro nobili. Sequitur eum venantẽ talis Curius, pereruditus homo, aleator famosissimus, & qui probè novit taxillos mittere cõpositos: domi habet sodalẽ Tricongium. T. Imò amphoram. G. Imò spongiã. N. Imò harenã Africæ aridissimã. B. Ainne illũ semper sitire. N. An sitiat, nescio: semper certè paratus est potare. B. Auscultà luscinolã illam. G. Vbinã est? B. Nõ vides eam in ramo illo sedentẽ? vide, vt

de, vt canit ardenter, nec intermittit. N. Flet Philomela nefas. G. Quid mirum dulciter eam garrire, quæ sit Attica, vbi etiam fluctus maris non sine numero illiduntur litori? N. Plinius scribit, eam præsentibus hominibus diutiùs & accuratiùs cantare. T. Quid causæ est? N. Ego tibi causam aperiam: Cuculus & Philomela eodem cantant tempore, verno scilicet, ab Aprili medio, ad Maium exactum, aut eo circiter. Hæ duæ aves in contentionem venerunt de suavitate concentus, quæsitus est judex: &, quia de sono erat certamen, aptissimus visus est ad eam cognitionem asinus, qui præter cæteras animantes grandes haberet auriculas. Asinus, repudiata luscinia, cujus se harmoniã negaret intelligere, victoriam cuculo adjudicavit: Philomela ad hominẽ appellavit, quem vbi videt, agit statim causam suam, canit diligenter, vt se illi approbet ad vindicandam injuriam, ab asino acceptam. G. Habeo causam poëta dignam. N. Quid ergo? exspectabas philosopho dignam? posce id à novis illis magistris Parisiensibus. G. Plerique illorũ vestibus sunt philosophi, non cerebro. N. Quid ita vestibus? nã coquos potiùs dixeris, aut muliones: G. Quia gestant eas crassas, detritas, laceras, lutulentas, immundas, pediculosas. N. Erũt ergo philosophi Cynici. G. Imò cimici; nõ, quod videri affectant, Peripatetici: quippe Aristoteles, sectæ princeps, cultissimus fuit. Ego verò longũ valedico jam nunc philosophiæ, si aliter non possũ esse philosophus. Quid enim pulchrius, & homine dignius, quam mundities, & civilis quidam cultus in victu & vestitu? ea in re antestant, mea sententia, Lovanienses Parisiensibus.

Quid tu non putas esse impedimento studiis nimiam curã mundities atq; elegantiarũ? G. Ego quidẽ mundiciem probo, anxiam & morosam illius curã improbo. N. Dimmas tu elegantias? de quib? scripsit Valla tam diffusè, quasq; adeò diligenter cõmendant nobis nostri præceptores? Gr. Alia est verborũ in loquendo elegãtia, alia rerũ in vestiendo. T. Scitis, quid est mihi narratũ à tabellario Lovaniensi? N. Quid tandẽ? T. Clodium ardere perdite in puellam quandam, & Lusconẽ transtulisse se ad mercaturam à literis: hoc est, ab equis ad asinos. N. Quid audio? T. Clodium, noratis omnes, succi plenum, rubicundum, bene habitum, hilarẽ, vultu renidenti, semẽ, festivum confabulatorẽ? nunc refert ille, esse exsuccũ, exsanguẽ, pallida colore atq; adeò lurido, imbecillũ, horridũ, trucẽ, taciturnũ, fugitantẽ lucis, & humani consortii: nemo, qui illum vidisset priùs, jam agnosceret. N. O miserum adolescentẽ! vnde id mali? T. Ex amore. N. At vnde amor? T. Quantũ ex oratione tabellarii potui colligere, reliquerat seria & solida studia, dediderat sese tunctũ poëtis lascivis, Latinis, & lingua vulgaris: inde prima animi præparatio: vt si qua ignis scintilla in illũ incideret fomitẽ, quantumlibet exigua, subitò inflammaretur velut stuppa: tradiderat se somno & ocio. N. Quid necesse habes plures aut majores causas amandi cõmemorare? T. Nunc insanit, ambulat plerumque solus: semper autẽ vel tacitus, vel cantillans aliquid, & modulans, scribit versus sermone vernaculo. N. Scilicet, quos legat ipsa Lycoris. G. O CHRISTE, averte ab animis nostris tã perniciosum morbũ. T. Nisi me ingenium Clodii fallit, recipiet se aliquando ille ad frugẽ meliorẽ: peregrinatur

animus

animus ejus in nequitia non habitat. G. Et ille alter quas mercatur as exercet? T. Misit ad patrē epistolā, flebiliter conscriptam de misera conditione studiorum, quā, quod esset apertilis, legit ipse tabellarius. Pater, homo crassi Minervæ, transtulit enim à chartis ad lanas, naunos, glastum, piper, gingiber, cinamomū. Nunc ille succinctus braca, mirè diligens & sedulus in aromataria taberna vocat adventores, excipit blādus, stat, dat, descendit per scalas infestissimas, profert suas merces, vertit, invertit: mentitur, pejerat: omnia sūt illi leviora, quam studere. N. Apud ero novi illū attentū ad rem, & delectari numulis. Itaq; potiorem habuit vocationem, quàm literaturam, & vile lucrum antepositt excellentiæ eruditionis: aliquando pœnitebit eum. T. Sed sero. N. Indubie: provideat, ne accidat sibi, quod suo consobrino. T. Cui? N. Antonio in angiportu pomerū, ad tres graculos. Non audisti, illum superiore anno decoxisse? Gr. Quid decoxit, quæso: istne hoc tam non malū? an non quotidie id fit in culinis omnibus? T. Decoxit rem. G. Quā rem? T. Alienā, & conturbavit. G. Nihilne reddidit creditoribus? T. Ex compactione (nam receperat se in asylum unciās ternas ex libris singulis. G. Hoc vocas tu decoquere, cum nihil fit crudius? sed quo modo amisit? T. Audivi equidē nuper de patre, nō satis tamen intellexi. Narrabat pater, eum fecisse versuras damnosissimas, quæ deglutierunt eum, & devorarunt usq; ad ossa. G. Quid rei est versura? quid deglutire? T. Ne ego quidē novi: credo esse aliquid de furibus. N. Vides illū obesum? quē putes vix se posse cōmovere: petaurista est, & funambulus. G. Ah, tace, rē narras incredibilē. T. Non ipse quidē suo corpore, sed calcib

sed calcib⁹. Gra. *Afferebat aliquid aliud novi tabellarius de nostris sodalib⁹?* Tur. *Etiam de Hermogene, qui in omni nostro certamine semper ferebat primas, is admirabili mutatione ex ingeniosissimo, et (ut ætas illius ferebat) doctissimo, repente factus est tardissimus, & rudissimus.* Nug. *Tale quiddam sæpe vidi accidere in quibusdam acutulis.* Bam. *Aiunt id fieri, quum ingenii acumen nõ est solidum: ut in scalpellis, quorum acies facile retunditur, præsertim, si quid secent paulo durius.* Gr. *Quid? estne acies in ingenio, sicut in ferro?* B. *Nescio, ferrum sæpe vidi, ingenium nunquam vidi.* N. *Quid factum est adolescentulo illi pagano, qui superiore mense exhibuit nobis prandium adventorium, refertũ deliciis rusticis, ad quẽ è fuga retrahendum præceptor miserat quatuor fugitivarios: & erat formosulus.* T. *Venustus asinus. Puella amanuensis amitæ meæ, quæ puella est illi soror patruelis, cõvenit illum nuper in pago suo, nudo capite, impexũ, horridũ, sentũ, cũ gallicis, & tunica villosa levidẽsa, vendentẽ in trivio quodã chartaceas imagines, & tabellas elementarias, cantantem cantiones novas in circulis.* G. *Oportet illũ esse ortum claro sanguine.* T. *Qui isthuc?* Gr. *Quoniam pater ejus est de genere Coclitũ.* N. *Nõ tam id arguit nobilẽ virũ, quam bonũ jaculatorẽ: collimabit facile.* T. Aut fabrum tignariũ, qui Oculo rubricã dirigit uno. N. *Nũquam placuit mihi ille puer, nec dederat mihi significationẽ aliquam virtutis.* G. *Quid ita?* N. *Quia nec amabat studia, nec præceptorẽ reverebatur: quod est perditi animi argumentũ evidentissimũ: & senes irridebat, & calamitosos subsannabat. Sed quis est iste sericatus, torquatus, bracteatus auro?* G. *Ex*

genere

genere clarissimo, matrē habet nobilissimam & fœcundissimam. N. *Quam?* G. *Terram: & vix credas, quas semper faciat delicias: dicas, puerulū in cunis adhuc & crepundiis vagientē.* N. *Atqui lanugo illi incipit jam per malas serpere.* B. *Hem, observator venit: expedite libros, explicate, incipite evolvere.* G. *Nec fuit his multis hebdomatibus observator magis curiosus, & qui tam gauderet deferendis ad Magistrū criminibus.* B. *Utinam saltē nos veræ culpæ reos ageret! sed calumniatur plerūque.* N. Hic murus aheneus esto: Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. *Sed quiescite, ego illū statim fugabo.* Obs. *Quid tu dicis, Vatia?* N. *Quid tu Vatrax?* Obs. *Quid tu Vatrachomyomachia? sed, joco amoto, quid hic agitur?* N. *Quid ageretur? quod inter bonos scholasticos & studiosos: legitur, ediscitur, disputatur. Dic sodes, capitulū lepidissimū, quid est apud Virgiliū, Transversa tuentib⁹ hirquis?* Ob. *Bene facitis, pergite, studere, ut bonæ indolis adolescētes decet, mihi aliud nūc est negotii: vos valebitis.* N. *Satis nugatū est, revertamur ad ludū: sed priùs relegamus, quæ præceptor explicavit, tū vt discamus, tū vt illi placeamus, & nos approbemus: quod cuique nostrûm debet esse in votis, non minus, quàm Patri.*

ITER ET EQUUS. IX

Philippus, Misippus, Misospudus, Planetes.

V*Ultisne proficiscamur animi gratia Bononiam, quæ est ad Sequanam?* Misipp. & Misosp. *Nihil malumus, die præsertim sereno, & à ventis silenti, tam etiam in nostro Pædagogio feriato.* Phil. *Cur ergo est nobis operarius?* Mis. *Quia Pandulphus*

[illegible]

made ſacturus eſt hodie ingẽti prandio Magiſtros omnes, in hõorẽ laureæ ſuæ magiſtralis. Pl. Vah, quantũ potabitur? Miſo. Multo plus ſtrictur. Miſi. Ego habeo aſturconẽ. Ph. Et ego equum meritorium, conductũ de luſco impoſtore. Miſo. Ego & Planetes vehemur rheda: reliqui, ſi videtur, vel pedeſtres ſequẽtur nos, vel vi brachiorũ agent cymbã contra curſum amnis. Pl. Imo equis trahetur. Miſ. Ut erit cordi; nã nobis pedeſtre iter magis placet. Ph. Eia puer, frena equum meum, & inſterne. Quid, malum, mãno indis lupatũ? orna potius frembo illo leviculum bullis. Pu. Hui, nec oream habet, nec aureas. Ph. Si ſcirem quis fregiſſet, ego illi frangerẽ. Miſi. Quid tu nunc dicis cõcitatus? Ph. Panẽ in cœna. Accipe, unde poteris, accõmodato? Pu. Scilicet in mediis pædagogiis quæris tu vel equos, vel equorũ ornamenta. Ph. Supple igitur, quæ deſunt, ex hoc funẽ. Pu. Erit deforme. Ph. Abi, inſane, quis videbit extra urbẽ? Pu. Antilena eſt diſſuta. Ph. Sarcias ligulã adſtrictoriã aliquã. Pu. Nõ habet poſtilenã. Ph. Nec opus eſt. Pl. Magnũ equidẽ & exercitatũ! delabetur ephippium ad collum, & effundet te equus ſupra caput. Ph. Quid ad me? lutoſa eſt magis via, quam lapidoſa: inficiar cœno, non cruentabor. Sed, ſi hæc omnia apparanda, nõ hinc diſcedemus ante veſperã: adhuc equum qualicunq; ornatum. Pu. Paratus eſt, aſcende: ah, quid agis, pedem dextrum ponis priorem in ſtapeda? Ph. Utrũ ergo? Pu. Siniſtrũ, & habenas ſiniſtra manu rege: dextræ cape hanc virgulã, quæ erit pro calcaribus. Ph. Non indigia, calcanei erunt mihi vice calcariũ. Pu. Fabullium Tauream videtis, aut qui cũ hoc eſt congreſſus, Aſellũ P. Apage hiſtorias in procinctu: ubi reliqui?

Pu. Ites

Pu. *Ite, ego comitabor vos pedester.* Mis. *O equũ molestissimũ succussatorẽ, ossa mihi omnia contuderit, priusquã perveniamus in opidulũ.* Ph. *Quid (malũ) est stratũ istud tuum? clitella est, vt puto.* Mis. *Paulo minus.* Ph. *Quanti, quanti?* Mis. *Numis Turonensibus quatuordecim.* Ph. *Equum ipsum cum suo victu & vestitu tanti non emerim: nec videtur mihi equus vector, nec ephippiarius, sed jumentũ clitellarium & jugale, aut dossuale: animadverte, quæso, vt paßim cæspitat! vel in chartam aut latum culmum impingeret.* Misi. *Quid tu de eo dicis? pullus est adhuc. Sed garrias, quæ voles: vides tu huuc equum? is, qualis qualis est, me vehet, aut ego illũ.* Pu. *Vngulã habet tenerrimam miser.* Ph. *Quid admonuit te tam accuratè vnoculus, quum tibi eum insterneret?* Misi. *Rogavit verbis amantißimis, ne duo insideremus equo, alter in strato, alter super clunes, & vt in equili diligenter ei substernerẽ.* Pu. *Nimirũ eget misellus, qui latera habet nudata carne.* Ph. *Quid agitis vos? non ascenditis in rhedam?* Pl. *Probè mones: rhedarius petit nunc altero tanto plus, quàm quãti eramus pacti.* Ph. *Cum rhedariis est vobis res, & cum naviculatoribus: facilè conficietis omnia, & ex animi sentẽtia. Genus hominũ est mite, mansuetũ, come, vrbanum, pium. Rhedarii sunt fæx terræ, naviculatores fæx maris, date illi dimidium ejus, quod plus poscit.* Pu. *Quotam esse jam horam censetis?* Ph. *Ex sole cõjicio, esse ultra decimã.* Pu. *Appetit jã meridies.* Ph. *Itane? Heus,* Misippe, *eamus: sequatur, qui poterit. Invenient nos ad galerũ purpureum: ea est taberna diversoria, sita cõtra regiã pyramidẽ, nõ procul à domo Curionis.* Misip. *Qua egredimur?* Ph. *Per portam*

Marcell

Marcellinã, ad dextrã simplici via & directa. Misi. *Imò teneamus hanc semitam, via jucunda & placida.* Ph. *Minimè verò: nihil cõmodius ac tutius, quàm via regia. Nam transversis in itineribus amittemus comites, præsertim, quòd trames ille, nisi me fallit memoria, est valdè sinuosus & ambagiosus.* Misi. *Qui sunt isti hastati? videtur milites ex istis mercenariis.* Ph. *Quid agendũ.* Mis. *Revertamur, ne nos spolient?* Ph. *Progrediamur: nã facilè evademus eos cursu equorũ per campos.* Misi. *Quid si gestent tormẽta manuaria?* Ph. *Nihil tale cerno, sed solas sarissas.* Misi. *Accede propiùs, puer.* Pu. *Quid rei est?* Mis. *Non tu vides illos Germanos?* Pu. *Quos?* Mis. *Illos huc venientes adversum nos.* Pu. *Planè sunt germani, sed Parisiẽses rustici duo cũ suis baculis.* Misi. *Profectò ita est, bene sit tibi, animam mihi & vitam reddidisti. Sed ubi Misospudus & Planetes?* Pu. *Rhedarius iratus, quòd non, quantũ postulaverit, accipiat, duxit eos via salebrosa: equi, dum magna enituntur vi rotas, in alto cœno hærentes, extrahere, temónem & helcia confregerunt, tum canthi revulsi sunt cum clavis, & ipse rotam sufflamina verat imprudens, bili excæcatus: nunc ea reficit stomachabundus, & cõvicians divis omnibus vectores quoq; diris devovens atrocißimis.* Ph. *Quæ capiti illius sint.* Pu. *Puto, eos, rhedâ relictâ, trãsituros in sarracũ, quod sine onere habet iter Bononiam. Glaucus & Diomedes ingreßi erant in scaphã quandam: sed nautæ negant, se hoc vento posse remis aut contis agere navigium: equos halciarios, narrant, omnes esse occupatos, nescio qua materia vehenda: ita nondũ religarant prymnesiũ.* Ph. *De naulo nihil novi.* Pl. *Nihil prorsus?* Ph. *Mirũ est: sed conjicio, quid*

futurum

futurũ sit, nõ pervenient illi Bononiam ante serũ diei. Misi. Quid tũ? sumemus diem crastinũ totũ ad reficiendum animũ. Aspice, vt fluviolus ille leniter labitur! aquæ planè crystallinæ inter scrupos aureos, quã jucundũ murmur! Audis luscinciolã & cardaelẽ? profectò territorium hoc Parisiense amœnissimũ est. Ph. Quod spectaculũ potest esse huic par? quã placido agmine fluit Sequana! vt fertur naviculæ illæ plenis sinib⁹, & secundo vẽto! mirificè his omnib⁹ redintegrãtur animi. O pratũ miro artificio vestitũ! Mi. Nempe ab admirabili artifice. Ph. Quàm suavẽ odorem eructat! Mi. Hac, hàc ad sinistrã flectito, vt vites cœnũ tenacissimũ, in quo gradarius tuus statim unguem amitteret. Quã contrarius hic campos suo vicino, obsitus situ, squallidus, carios⁹, horrens, petris & spinis armatus? Pu. Nõ vides esse agrũ ruderatũ ex villæ ruinis? & alióqui frumẽtarius est. Hibérno pulverẽ, verno luto, magna farra, Camille, metes. Ph. Quæso cantilla versus aliquot, vt soles. Misip. Placet.

Felix ille animi, divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

Ph. Versus facetissimos, & gravissimos! cujus quæsõ sunt? Misi. Nõ agnosti? Ph. Nõ. Misi. Angeli Politiani. Ph. Vetustiores putavi, & habent gratiam antiquitatis. Suspicor nos deerrasse. Misi. Heus, bone vir, quæritur Bononiam? Rusticus. Aberrastis: obvertite cantherios vestros ad bivium illud, & tenete viã quã radit flumẽ: ea vos nõ sinit falli: recta est & simplex, usq; ad vetustã quercũ, inde ad manũ hanc vos

 pracipi

præcipitate. Miſi. *Habemus gratiam.* Ruſt. *Ducat vos.* DEVS. Miſi. *Mallẽ currere, quã ſic ab equo iſto cõcuti.* Ph. *Tantò cœnabis avidiùs.* Miſi. *Imò nõ potero cœnare delaſſatus, & confractus toto corpore: citiùs quærã de lecto, quã de menſa.* Ph. *Sede cõjunctis cruribus, nõ divaricatis: minùs ſenties laborẽ.* Miſi. *Hoc eſt fœminarũ: & facerẽ, niſi metuerẽ deriſus & ſannas prætereuntium.* Pu. *Siſte parumper, Philippe, dum hîc faber ferrarius calcearit aſturconẽ tuum, cui excuſſa eſt ſolea dextri pedis.* Miſi. *Quin potiùs moremur hîc, vt, clauſo diverſorio, ſub dio dormiamus.* P. *Quid tũ? in aperto mundo: an nõ id præſtabilius, quã in clauſo? Gravius eſſet, quòd incœnes.*

SCRIPTIO.

Manricus, Mendoza, Magiſter. X

ADfuiſtin' hodie, quũ ille haberet orationẽ de vtilitatib⁹ ſcribẽdi? Mẽ. *Vbi nã?* Mã. *In auditorio Antonii Nebriſſenſis.* Mẽ. *Minimè verò: ſed tu recẽſe, ſi qua hæſerũt memoriæ.* Mã. *Quid ergo recenſeã? dixit tã multa, vt omnia propè excciderint.* Mẽ. *Ergo cõtigit tibi quod de vaſis anguſti orificii Quintilianus dicit, quæ ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt: ſenſim ſi inſtilles, recipiunt. Sed nihil retinuiſti penitus?* Mã. *Propemodũ nihil.* Mẽ. *Aliquid igitur?* Mã. *Perpuſillũ.* Mẽ. *Iſthuc ipſum perpuſillũ, fac mihi etiam cõmune.* Mã. *Primũ omnium aiebat, eſſe perquã admirabile, tantã varietatẽ humanarũ vocum paucis potuiſſe literis cõprehendi: deinde amicos abſentes poſſe inter ſe beneficio literarũ colloqui. Addebat, nihil eſſe viſum mirabilius apud inſulas iſtas, à regib⁹ noſtris recens inventas, vnde aurũ affertur, quã poſſe inter ſe homines aperire, quæ ſentiunt, rãro*

inter

intervallo regionũ missa chartula aliqua, maculis nigris distincta: rogabãt enim, an papyrus sciret loqui: hæc ille, & alia permulta, quæ sum oblitus. Mẽ. Quã diu dixit? Mã. Horas duas. Mẽ. Ex tã longa oratione, tũ paucula mãdasti memoriæ? Mã. Mãdavi quidẽ memoriæ; sed ea noluit retinere. Mẽ. Planè doliũ habes filiarũ Danai. Mã. Imò excepi cribro, non dolio. Mẽ. Accersamus aliquẽ, qui tibi ea, quæ ille dixit, redigat in memoriam. Mã. Mane tamẽ: nam aliud quiddã cogitatione quæro: teneo. Mẽ. Eloquere tandẽ: cur nõ excipiebas pẽna? Mã. Nõ erat ad manum. Mẽ. Ne pugillares quidẽ? Mã. Ne pugillares quidem. Mẽ. Exprime hoc tandẽ. Mã. Aufugit jam: tu excussisti menti, tã odiosè interpellando. Mẽ. Hui tã citò? Mã. Rediit in memoriam. Ex auctoritate, nescio cujus, scriptoris affirmabat, nihil esse ad magnã eruditionẽ compendiosius, quã probè ac celeriter pingere. Mẽ. Quis est auctor? Mã. Nomen sæpè audivi: sed memoria effluxit. Mẽ. Ut alia. Sed huic præcepto nõ paret vulgus nostræ nobilitatis, quæ pulchrũ & decorũ sibi esse ducit, nescire literas formare: dicas scarificationẽ esse gallinarũ, &, nisi præmonitus sis, cujus sit manus, nunquã divinaris. Mã. Et ea de causa vides, quàm crassi sunt homines, quàm amentes, & opinionib⁹ corruptissimis. Mẽ. Quomodo sunt vulgus, si nobiles? an nõ hæc multũ inter se distant? Mã. Quia vulgus non vestibus & possessionibus distinguitur; sed vita & judicio de rebus integro. Mẽ. Vin' ergo ut nos à vulgari ista insscientia vindicemus? tradamus nos huic exercitamẽto. Mã. Nescio, quo pacto naturale est mihi, distortè, inæqualiter, perturbatè exarare literas. Mẽ. Hoc habes nobilitatis, exerceas te: nã assuefactio

factio mutabit, quod naturale esse ducis. Man. Sed vbi is habet? Mē. Ex me tu id quæris? qui nec audivi hominē, nec vidi, quum ipse eum audieris, tu; quantum intelligo, velles omnia ingeri tibi præmansa in os. Mā. Nunc cōmemini: aiebat sibi domū conductam juxta ædē divorū, Justi & Pastoris. Mē. Est ergo vicinus vesteri eamus. Mā. Heus puer, vbi est magister? P. In illo conclavi. Man. Quid agit? P. Docet quosdam. Mā. Significa illi, astare hic pro foribus, qui huc etiam veniunt, vt ab eo doceantur. Mag. Qui pueri sunt isti? quid petunt? P. Te capiunt conventū. Mag. Admitte eos ad me recta. Mā. & Mē. Optamus tibi salutē & omnia prospera, magister. Mag. Et ego vicissim vobis felicem hunc ingressum: sospitet vos CHRISTVS; quid est? quid vultis? Mā. Doceri abs te artē istam, quam profitēre, si modo vacat, & si vis. Mag. Rectè & oportet vos esse pueros honestissimè educatos, qui & sic loquamini, & tam modesto sitis ore. Nunc verò magis, quum tota facie suffudit se vobis rubor: confidite filii: nam iste color virtutis est: quî vocamini? Mā. Manricus & Mendoza. Mag. Nomina ipsa testantur ingenuam educationē, & generosos animos. Ita demū eritis vere nobiles, si iis artibus excolatis animos, quæ maximè sunt dignissimæ claris natalibus. Quanto magis sapitis vos, quàm multitudo ista nobilitatis, qui eò se habitū iri generosiores sperant, quo imperitius pingant literas. Sed minimè est hoc mirandum, quandoquidē persuasio hæc demētiam nobilitatis jam pridē invasit, nihil esse abjectius aut vilius, quàm aliquid scire. Ergo videre est illos epistolis à librariis suis compositis subscribentes id, quod nullo pacto legi potest: nec scias, à quo tibi epi-

stola

stola mittatur, nisi sit à tabellario prædictum, aut signum agnoscas. Mã. *Id modo ego & Mendoza querebamur.* Mag. *Sed venitis huc armati?* Mã. *Minimè verò, bone præceptor: vapularemus à nostris pædagogis, si ausi essemus arma hac ætate vel aspicere: nedũ tangere.* Mag. *Ah, ah, non loquor de armis crudelitatis, sed de istis scriptoriis, quæ ad præsentẽ rem faciunt. Habetis thecam pennariã cum pennis?* Men. *Quid rei est theca pennaria? an ea, quã nos calamariũ nominamus?* Mag. *Ea ipsa: nam antiquissimi homines solebant stylis scribere, quibus successerunt calami, & potissimùm Niloticî. Agareni, si quos vidistis, arundinibus scribunt à dextera in sinistrã, sicut omnes penè ad Orientẽ nationes. Europa, Græcos sequuta, contrà à sinistra in dextrã.* Mã. *Etiam Latini?* Mag. *Latini quoque, fili: sed hi à Græcis habent originẽ, & olim veteres Latini scribebant in mẽbrana deletili, quæ vocabatur palimpsestos, tum unatãtùm facie: nam, qui vtrinque erant libri conscripti, opisthographi dicebãtur: qualis fuit Orestes ille Iuvenalis, scriptus & in tergo, nec dum finitus. Sed hæc aliàs: nunc ea, quæ instant, Anserinis pennis scribimus, aliqui gallinaceis. Vestra ista sunt egregiè habiles: nam sunt caule amplo, & nitido, & firmo: detrahite plumulas scalpello: & detruncate aliquid è cauda: tum eradite, si quam habent scabritiem: nam levigata fiunt aptiores.* Manr. *Nunquam ego gero nisi depluvnatas, & nitidas: sed institutor meus docuit me eas lenes facere saliva, & affricatione ad adversam tunicam: vel fœminicruralia.* MAGISTER. *Præsens consilium.* MENDOZA. *Doce nos aptare pennas.*

MAG. *Primùm omniũ reſcindetis vtrinq; caput: vt fiat bifurcata: tum in ſuperiore parte inciſuram facite ſcalpello ſenſim ducto, quæ crena vocatur: hinc æquate duos illos pedunculos, ſeu mavultis nominare cruſcula, ita tamen, vt altius ſit dextrum, in quod penna ſcribendo incumbit, id tamen diſcrimen vix perceptibile oportet eſſe. Pennã ſi firmiùs vis chartæ imprimere, tribus digitis teneto: ſin celeriùs, duobus, pollice & indice, more Italico. Nam medius inhibet magis curſum & moderatur, ne ſe immodicè effũdat, quàm adjuvat.* Manr. *Profer atramentariũ.* Men. *Hem! cornu atramentariũ elapſum eſt mihi veniẽti huc.* MAG. *Puer, profer ampullã illã atramentariã, ex ea effundem⁹ in hoc mortariolũ plumbeum.* Mẽ. *Sine periculo?* Mag. *Ita hauries penna liquidiùs & commodiùs: nam in goſſypio vel filo bombycini, aut lini, quum pennã intingis, adhæret ſemper crenæ fibra aliqua vel flocculus, in quo detrahẽdo fit mora ſcriptioni aut, ſi non detrahas, lituras veriùs effingas quàm literas.* Mẽ. *Ego ex ſodalium conſilio linteolũ Melitenſe indo, aut bombycinũ leve ac tenue.* Mag. *Iſtud verò eſt ſatius. Cæterùm multò præſtat, ſolum atramentum infundere in mortariolo quidẽ fixo, nam quod circumgeſtandum eſt, huic omnino opus eſt penniculo. Cæterùm, habetis chartã?* Mẽ. *Hanc.* Mag. *Aſperam admodũ, & quæ pennã remoretur, ne inoffenſè decurrat: quod eſt ſtudiis noxium. Nam, dum lucubris cum ſcabritie chartæ, elabuntur multa ex iis, quæ ſcribenda cogitaveras. Hoc genus chartæ amplæ, denſæ, duræ, ſcabræ, librariis relinquite: quæ ideo libraria nuncupantur, quòd ex eis fiant ad diuturnitatẽ libri: nec illã quotidiano vſui paraveritis grandem,*

dē, augustam, sive imperialē, quæ de rebus sacris hieratica nominatur, quales videtis in libris sacrarum ædium: acquirite vobis chartā epistolarē, quæ ex Italia affertur optima, tenuissima & firma: vel vulgarē illam, quam ex Gallia important, quam passim invenietis venalem in singulos codices numis octonis plùs minùs: dabitur vobis pro corollario philyra una aut altera chartæ emporeticæ, quā bibulam dicimus. Mē. Quæ est horam nominum ratio? nam sæpe dubitavi. Mag. Emporetica de Græco venit, ab involvēdis mercibus; & bibula, quòd atramentū absorbeat. Ita non erit vobis opus furfuribus, aut sabulo, vel pulvere de pariete eraso. Sed omnium optimum est, quum per se literæ exsiccantur, eo enim modo diuturniores fiunt. Proderit tamē emporetica, quā sub manū extendatis, ne sudore aut sordib⁹ maculetis papyri candorē. Mā. Cedo jam nobis, si videtur, exemplar. Mag. Primum abecedarium, deinde syllabatim, tum verba cōjunctim, ad hunc modū. Disce, puer, quibus fias sapientior, & proinde melior. Voces sunt animorū signa inter præsentes, literæ inter absentes. Hæc effingite, & redite huc à prandio, vel cras, ut scripturā vestrā emendē. Man. Faciemus: interea cōmendam⁹ te CHRISTO. Mag. Et ego vos eidem. Mē. Secedamus, ut absq; interventu sodaliū & interpellatione meditemur, quæ à magistro hoc accepimus. Mā. Placet mihi: ita fiat. Men. Ventum est, quò volebamus. Assideamus in his saxis. Man. Etiam, sed aversi à sole. Men. Mutua mihi dimidium chartæ folium, quod reddā cras. Mā. Sufficit tibi hoc frustulū? Men. Hui! non capiet sex versus, ex meis præsertim. Man. Scribe in utraque facie, & duc versus densiores: quid neteſſe habes tam

magna interſtitia relinquere? Mẽ. *Egóne? vix intervallum eſt vllum: nam literæ ſeſe vtrinque attingunt, præſertim, quæ longos habent apices, aut pedes, vt* b, & p. *Sed quid tu? jamne duos verſus exaraſti? & quidẽ eleganter, niſi quòd ſunt pravi.* Mã. *Scribe tu ſeorſum, & tace.* Mẽ. *Enim verò penna & atramẽto hoc ſcribi nullo pacto poteſt.* Mã. *Quid ita?* Mẽ. *Non cernis, vt pẽna reſpergit chartã atramento extra literas?* Mã. *Atramentũ meum adeò eſt craſſum, vt limum eſſe credas: aſpice, amabo, vt hæret in ſumma crena, nec ad characteres formãdos defluit. Quin igitur vtrique incõmodo modemur? tu de cuſpidibus pennæ reſcinde ſcalpello, quoad atramentũ commodè colligat in literas: ego in atramentariũ, quò ſit atramentum liquidius, inſtillabo guttas aquæ aliquot.* Men. *Immerito potiùs.* Man. *Oh! ne latium, fœtebit atramentum ipſum, & quicquid ſcripſeris: nec facilè deinceps odorem hunc elueris è penicilo: optimum eſſet acetum, ſi haberes ad manum: nam hoc vi ſua ſtatim diſrarat, denſum atramentũ.* Mẽ. *Verum: ſed periculum eſt, ne acrimonia ſua chartam penetret.* Mã. *Nihil tale metuas: hæc charta maximè omniũ continet atramentũ, ne effluat.* Mẽ. *Extremæ hujus tuæ chartæ oræ inæquales, ſunt rugatæ & aſperæ.* Mã. *Derarginato chartã aliquantum forſicibus (nã hoc eſt etiam elegantius) aut citra eam aſperitatẽ ſcribẽdo ſubſiſte: tibi ſemper leviſſimæ offenſiones ſatis magno impedimento ſunt, ne pergas: ſed, quicquid eſt in manibus, abjicias illico.* Mẽ. *Redeamus jam ad præceptorẽ.* Mã. *Videtur tibi tẽpus?* Mẽ. *Metuo, ne præterierit jam tẽpus, nam ſolet maturè cœnare.* Mã. *Eamus: ingredere tu prior, qui habes minus cordis.* Mẽ. *Imò tu potiùs, qui minus fron-*

tis. Mā. *Vide, ne quis ab illo exeat, qui deprehendat hic nos jocantes & lascivientes. Pulsemus fores annulo, et si patentes, nam hoc fuerit urbanius. At at.* Pu. *Quis istic? rectà introcas, quisquis es.* Man. *Nos sumus: ubi est institutor?* Pu, *In conclavi.* Mē. *Omnia sint tibi fausta, præceptor.* Mag. *Feliciter veneritis.* Men. *Effinximus quinquies aut sexies tuum exemplar in eadem charta: referimus hoc opus nostrum ad te emendandum.* Mag. *Rectè facitis. Ostendite: posthac relinquite majorem intercapedinem versuū, vt sic ego possim corrigere vestra errata ad emendationē. Hæ literæ sunt admodum inæquales: quod est in scribendo fœdum. Animadverte, quanto* n, *majus est quàm* e: *&* o *quàm orbis hujus* p? *nam literarū corpora omnia oportet esse æqualia.* Men. *Quid, quæso, vocas corpora?* Mag. *Media in literis, præter apiculos, & pedunculos, si quos habent: apices habent* b, *&* l, *pedes* p, *&* q. *Jam in eodem* m, *crura sunt imparia, primum brevius est medio, & nimis māgnā caudam trahit, sicuti & illud* a: *nec satis imprimitis pennā chartæ, vix hæret atramentū, ne dignoscas, quæ sint elementa. Quòd literas has transformare tentaris in alias, erasis particulis cuspide scalpelli, magis deturpasti scripturā: satius fuisset, tenuē lituram inducere: tum & quod supereſt verbi in fine versus, transferre in caput sequētis, modò integræ sint semper syllabæ: quas secari non patitur lex Latinæ scriptionis. Augustū Cæsarē, prodūt memoriæ, nō solitū verba dividere nec ab extrema parte versuū abundātes literas in alteram trāsferre, sed ibidem statim subjicere & circūducere.* Mā. *Nos id libenter imitabimur, quoniā exēplū est regis.*

Mag. *Rectè facitis, quomodo enim aliter approbaretis, vos ex illius esse satos sanguine? Sed ne cõjungatis omnes literas, nec omnes separetis. Sunt, quæ vinciri inter se postulent, vt caudatæ, cum aliis, velut, a, l, n: item hastatæ, vt f & t. Sunt, quæ recusent, nempe orbiculatæ, p, o, b. Quantũ poteritis, recto capite scribite, nam, inflexo atque incumbenti, defluũt humores ad frontẽ & oculos: vnde morbi nascuntur multi & videndi imbecillitas. Accipite alterũ exemplar, quod exprimatis cras,* DEO *propitio.* Ovid.

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Et aliud Martialis, de Notario.

Currant verba licet: manus est velocior illis,
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Men. *Visne etiam lituram hanc reddamus?* Man. *Lituram sanè: modo & alia probè exarata.* Men. *Interea optamus, te bellissimè valere.*

VESTITUS ET DEAMBULATIO MATVTINA.

Malvenda, Bellinus, Ioannius, Gomezulus. XI.

MAL. *Nempe hoc aßiduè: jam clarum mane fenestras intrat. Stertimus, indomitum quod despumare falernum sufficiat.* B. *Apparet profectò, insanire te, nam alioqui nec tam multo mane esses experrectus, nec versus funderes, & quidẽ Satyricos: quo manifestiùs rabiem tuam patefacias.* M. *Accipe ergo epigrãmatarios, edentulos & falsos.*

Surgite: jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristataque sonant undique lucis aves.

B. *Istud de jentaculo citiùs mihi somnum excuteret, quàm clamores tui.* M. *Festivißime negator, precor tibi felicem hunc diem.* B. *Et ego tibi faustam noctẽ,*

& bonum

& bonum cerebrũ, vt ſimul & dormire poßis, & ſoluta oratione loqui. M. Quæſo te, ſeriò reſponde, (ſi modo ſeriò potes vnquam loqui) quam horam cenſes nunc eſſe? B. Medium noctis, vel plùs paululum. M. In quo horologio? B. In medio domeſtico. M. Vbi tãdem eſt horologiũ tuum domeſticum? tu horologium vnquam habueris, aut inſpexeris? cui omnis hora eſt ſemper dormiendi, edendi, ludendi, ſtudendi verò nũquam. B. Atqui hic ego habeo horologium mecũ. M. Vbi? Oſtẽde. B. In meis oculis, vide, vt nulla vi aperiri poßint, obdormi rurſus, obſecro, aut certè tace. M. Quid, malum, eſt caroſis hæc, ſeu veriùs lethargus & mors quædam? quàm diu putas nos jam dormiſſe? B. Horas duas, vel ad ſummũ tres. M. Ter ternas. B. Qui fieri iſtud poteſt? M. Gomezule, curriculò ad ſolarium Franciſcanorũ, & contemplare, quota ſit hora. B. Apage ſolarium quum ſol nõdum ſit ortus. M. Ortus verò? aperi feneſtram iſtam vitream, heus tu puer, vt verberet ſol hujus oculos ſuis radiis: plena ſunt jam ſole omnia, & vmbræ minores. B. Quid tibi eſt rei cum ortu ſolis & occaſu? ſine illum priorem te ſurgere, cui majus eſt conficiendum iter diurnum. Gomezule, curſum intẽdito ad d. Petri, ibi aſpicito, & in horologio machinali quæ ſit hora, & in gnomone. G. Vtrumque ſum intuitus. In ſolario parum abeſt vmbra à ſecunda linea. In horolcgio digitus indicat horam paulo plus quintam. B. Quid narras? aliud reſtat ergo agendum tibi, vt huc ſiſtas mihi fabrum ferrarium ex vico lapideo, qui forcipe disjungat has palpebras tam affixas, dic ei, revellendam eſſe è foribus ſeram aliquam, cujus ſit amiſſa clavis. G. Vbinam habet? M. Iſte verò ſeriò accerſeret. Deſinc jam

nugari.

nugari, & surge. B. Surgamus tandẽ, quando ita obstinasti animo. Vah, quàm es odiosus sodalis. Exsuscita me, CHRISTE, ex somno peccati ad vigiliã justitiæ, transfer me ex nocte mortis ad lucem vitæ: Amen. M. Feliciter tibi procedat hæc lux. B. Et tibi hæc eadem & aliæ quàm plurimæ lætæ ac faustæ, hoc est, vt eam ita transigas, ne cujus virtutẽ lædas, neu quis tuam. Puer, afferto subuculã mundã: nam hãc jam totos sex dies gestavi. Hem, arripe pulicẽ illum saltitantem. Omittè nunc venationẽ pulicum: quãtulum erit pulicem vnum in cubili hoc exstinxisse? M. Quantum, guttã vnam aquæ Diliæ huic adimere. B. Imo verò mari ipsi Oceano. Nolo hanc subuculam collari rugato, sed alteram illam plano. Nam rugæ hæ quid aliud sunt hoc tẽpore, quàm nidi aut receptacula pediculorũ & pulicum. M. Inepte! exsistes repentè dives; habebis pecus album, & pecus nigrum. B. Peculium numerosum magis, quàm quæstuosum: & comites, quos malim semper videre in vicinia, quàm domi meæ. Jube famulam resuere latera hujus subuculæ, & quidem filo serico. G. Non habet. B. Lineo igitur, aut laneo, aut etiã si ita libet ei, sparteo. Nunquã famulæ hæc habet quod est opus; quod verò non est opus, affatim: te verò, Gomezule, nolo ego esse divinatorẽ. Exsequere mandatum meũ, & renuncia: ne arioleris, quid sit futurũ. Excute pulverem è fœminicruralibus cõcussu. Hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Vdones dato itidem mundos. Nã hi sunt jam exsudati, & pedore olidi, φεῦ, amove eos isthinc continuò, offendit me fœtor gravissime. G. Vis interulã? B. Non, nam ex luce solis colligo, diẽ fore calidam, sed cedò mihi thoracẽ,

illum

illum dimidiis manicis ſerici gauſapini & tunicam ſimplicem fuſtadicam, cum vinculis veſtiariis oblongis. M. Imò fuſtanicam. Quid iſthuc rei eſt? quónam ire cogitas, vt tã ornes te præter morẽ tuũ? (præſertim quũ ſit dies profeſtus) & poſcis ligulas devinctorias caſtrenſes. B. Et tu cur induiſti bombycinam levem, recentẽ ab officina, quũ habeas capripiliam & Damaſcenã detritam. M. Dedi hæc reſarcienda. B. Ego verò in hiſce meis magis cõmoditatẽ ſpecto veſtitus quà ornatum. Uncinuli iſti & orbiculi ſunt laxati: tu, improbe, inconſideratè ſemper diſſolvis. M. Ego potiùs vtor globulis, & ocellis: quod eſt decentius, & minùs in induendo, & exuendo moleſtũ. B. Non eſt idẽ omnium judiciũ in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ condito in arcam, nec proferas tota æſtate. Aſtrigmenta hæc ſtrenuè ſunt exarmata ſuis ferris. Limbus hic eſt diſſutus & diſcerptus cura reficiendum: ſed vide, ne aſſuantur deformes cõmiſſuræ. G. Nõ poterit id perfici ante ſeſquihoræ. B. Affige ergo aciculâ, ne pẽdeat: dato periſcelides. G. Adſunt calceolos cum crepidis logi obſtraguli paravi tibi, pulvere bene excuſſo. B. Calceos potiùs exterge ſitu, ac nitida. M. Quid eſt ligula in calceo? de qua inter Grammaticos fuit cõtroverſia peracerba (vt ſolet de omnibus) dicendúmne eſſet ligula an lingula. B. Illa aſſuitur calceis Hiſpanicis in ſumma planta, hìc non habent. M. Et in Hiſpania jam deſuescunt apponere, calceatu Gallico. B. Accommoda mihi tuum pectinem eburneum. M. Ubi eſt tuus ligneus, & quidem Pariſienſis? B. Non audiſti, me heri objurgantem Gomezulum? Malv. Objurgare vocas tu ferire?

B. Hoc

B. *Hoc illud erat: fregerat quinque aut sex radios pectinis ex densis, ex raris penè omnes.* M. *Legi nuper scriptorẽ quendam præcipere, vt eburneo pectine pectamus caput, quadragies ducto à brechmate ad verticem, & inde ad occipitium. Quid agis? hoc non est pectere, sed mulcere: cedo pectinem.* B. *Neque isthuc est pectere, sed radere aut verrere. Credo, habere te caput testaceum.* M. *Et ego, te butyraceum, adeò non audes attingere.* B. *Vin' tu igitur, vt mutuò arietem capita?* M. *Nolo tecum contendere insaniâ, nec committam bonam mentẽ meam cum tua dementia. Ablue jam tandẽ manus & faciem: sed os potissimùm, vt mundiùs loquaris.* B. *Vtinam adeò cito animum perpurgarẽ, vt manus! dato malluvium.* M. *Confrica paulò diligentiùs nodos istos manus, quibus hærent sordes densissimæ.* B. *Falleris, nam puto esse potiùs decoloratam pellẽ & rugatam. Abjice has malluvias, Gomezule, in cloacam illam, & cedo mihi reticulum, & pileum clavatum. Affer jam ocreas.* G. *Itinerariásne?* B. *Non, sed vrbanas.* G. *Vis cucullionem, an pallam?* B. *Sumus foràs prodituri?* M. *Quid ni?* B. *Affer igitur lacernam.* M. *Prodeamus jam tandẽ, ne amittamus è manibus deambulandi tempus.* B. *Duc nos,* CHRISTE, *per vias tibi gratas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. O quàm formosa aurora, verè rosea, & (vt poëtæ vocant) aurea, quàm gaudeo me surrexisse! exeamus vrbem.*
M. *Exeamus, nam ego hac totâ hebdomade pedem porta non extuli, sed quo ibimus primùm, inde quâ?*
B. *Ad arcem, an ad mœnia Carthusiana?* M. *An potiùs ad prata divi Jacobi?* B. *Minimè illuc de mane, ad serum potiùs.* M. *Ad Carthusianos ergo per Frã-*
ciscanos,

ciſcanos, & Biſtũ, inde per portam Bruxellenſem: tũ redibimus per Carthuſianos ad rem divinam. Ecce tibi Joanniũ. Sis ſalvus, Joanni. I. Et vos plurimum. Quid iſthuc eſt in ſolitũ? tam bene manè ſurrexiſtis? B. Ego verò arctiſſimo ſomno eram conſopitus: ſed Malvẽda hic clamando & tundendo avellit me è lectulo. I. Rectè fecit: nam totũ te reficiet ac recreabit hæc deambulatio. Eamus ad pomœriũ: ô admirabilẽ & adorandũ artificẽ tantæ pulchritudinis! non immeritò vocatur opus hoc mundus, & à Græcis κόσμος, quaſi ornatus & elegans. M. Ne contentè deambulemus, ſed lentè ac molliter. Conficcamus, quæſo, in hac mœniali ambulatione duo aut tria ſpatia, vt ocioſiùs & liberiùs tam decorã ſpeciẽ contẽplemur. I. Attẽde, nullus eſt ſenſus qui non egregia aliqua voluptate perfundatur, oculi primùm: quæ varietas colorũ? qui veſtitus terræ & arborum? qui tapetes? quæ picturæ cõparari huic poſſunt? hæc ſunt naturalia & veræ, illa altera ficta & falſa. Non injuriâ vates ille Hiſpanus Maiũ appellavit pictorẽ mundi. Jam aures: qui concentus aviũ, & potiſſ. mùm luſciniæ? auſculta eam è ſalice, à qua (vt Plinius inquit) perfectæ Muſicæ ſcientiâ modulatus editur ſonus, animadverte accuratè: & annotabis varietates omniũ ſonorum: nunc non interquieſcit, ſed continuo ſpiritu in longũ æquabiliter, ſine mutatione: nunc inflectitur. Jam minutiùs & conciſiùs canit: nunc intorquet, & quaſi criſpat vocem: nunc extendit, jam revocat, aliàs longos concinit verſus, quaſi heroicos, aliàs breves, vt Sapphicos, interdũ breviſſimos, vt Adonicos. Quin etiam quaſi Muſicæ ludos & ſcholas habent. Meditantur aliæ juniores, verſuſque,

quos

quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intētione magna (vtinam nos præceptores nostros pari!) & reddit, vicibusq; reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio. Sed illas ducit natura recta, nos voluntas prava. Adde his, qui odor spirans vndique, sive ex pratis, sive ex segetibus, sive ex arboribus, etiam ex ipsis agris cessantibus & squalidis! Sapor, quicquid ori admoveas, vel ex ipso aëre, qualis primi & tenerrimi mellis. M. Hoc puto esse, quod à nonnullis audivi, apes consueſſe mel suũ colligere mense Maio ex cœlesti rore. I. Ea fuit multorũ opinio. Si aliquid vis dari tactui, quid mollius aut salubri? hac aura vbiq; spirante, quæ salutari spiritu per venas & vniversum corpus sese insinuat? Venit mihi nunc in mentẽ versuum aliquot Virgilii de vere: quos vtique cantillabo, si me potestis ferre voce mea non olorina, sed anserina: tametsi hanc malo, si non aliàs cygnus canit dulce, nisi fato suo proximus. B. Ego quidem, vt pro me respondeam, vehemẽter eos versus aveo audire, qualicunque voce, modo etiam exponas eos nobis. M. Nec ego ab hoc dissentio. Ioan.

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliúmve habuisse tenorem,
Crediderim: ver illud erat; ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri;
Quum primùm lucem pecudes hausere, virúmq;
Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immissæque ferè silvis & sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

B. Non satis intellexi. M. Ego, vt reor, multo minus.

I. Edis-

I. *Ediſcite nunc eos: aliàs intelligetis: ſunt enim deſumti ex intima Philoſophiæ, vt alia vatis illius permulta.* M. *Quæramus ab Orbilio literatore quẽ habemus obvium.* I. *Imò eſt homo non admodũ obvius: ſalutemus modo, & ſinamus abire hominẽ rabioſum & plagoſum, ingentis ſupercilii, imbutum magis literis, quàm eruditũ: tametſi perſuaſit ſibi ſerio, ſe eſſe literatorũ alpha. Cæterùm diximus de corpore, quid porrò? animum & mentem quantopere exhilarat & excitat hujuſmodi aurora? nullũ eſt tempus ad ediſcendum æquè idoneum, nullum ad perſpiciendũ continendúmque, quæ audias, quæque legas, nec aliud ad meditandũ & excogitandũ, quocunq; applicaris animum. Non immeritò quidã dixit: Aurora gratiſſima Muſis.* B. *Sed eccò jam exſtimulor appetentia: redeamus domũ jentatum.* M. *Quid tandẽ?* B. *Panẽ butyrum, ceraſa, pruna cereola quæ tantoperè videntur noſtris Hiſpanis placuiſſe, ut illorũ nomine pruna omnia nuncupent. Vel, ſi hæc non ſint domi, decerpemus folia aliquot bagloſſæ & ſalviæ, quæ addamus butyro.* M. *Bibemus vinum?* B. *Minimè verò, ſed cerviſiam, & quidẽ tenuiſſimã ex flava iſta Lovanienſi: vel aquã puram & lequidã, hauſtam è fonte Latino, aut Græco.* M. *Quem tu fontem Latinũ vocas? quem Græcum?* B. *Illum, qui juxta portam eſt, Græcum ſolet nominare Vives, vlteriorẽ illum, Latinum: cauſas ipſa reddet tibi, quã illum conuenies.*

DOMUS.

Iocundus, Leo, Vitruvius. XII

IOCVND. *Eſt tibi nativa cum inſularia ampla atque elegantis hujus inſulæ?* L. *In primis, & eſt aſſecla patris mei admodum propinquus.* I. *Rogemus*

eum, vt nobis eam omnē patefaciat: nam ferunt, nihil fieri posse amœnius nec delectabilius. L. *Adeam⁹, pulsemus fores tintinabulo, ne irrumpamus inexspectati: Atat.* V. Insularius. *Quis isthic est?* L. *Ego sum.* V. *O salve multùm, pusio dulcissime, vnde tu nunc?* L. *E ludo.* V. *Qua igitur gratiâ huc?* L. *Sodalis hic meus & ego vehementer cupimus has ædes visere.* V. *Nunquam spectasti?* L. *Non totas.* V. *Ingredimini. Heus puer, affer mihi claves ostiorum domus. Primū hoc est vestibulū, patet semper interdiu, absque janitore, quod nec intra domū est, nec tamē extra, noctu clauditur. Contēplamini portā magnificam, valvas è robore, munitas ære, vtrumque limen, & infernū & supernū, ex marmore alabastrite. Olim Hercules solebat præfigi ostio domus, ille* ἀλεξίκακος, *hic est* CHRISTVS, *verus* DEVS *(nam Hercules erat crudelis homo & maleficus) hoc custode nihil mali ingredietur in ædes.* I. οὐδὲ ὃν ὁ δεσπότης ἀστός. V. *Quid dixit Græcè?* I. *Cur tam multi ingrediantur mali?* V. *Etiāsi mali ingrediuntur, nihil tamen inferunt mali.* L. *Non vtimini cardinibus?* V. *Desiit esse mos apud quasdam nationes. Sequitur ostiū atrii, quod atriensis servus custodit, præcipuus in familia, vt mediastinus extremus. Tum atriū spaciosum ad deambulandū, multæ atq; variæ in eo picturæ.* I. *Quænam quæso?* V. *Illa est cœli facies ichnographica: illa terræ & maris orthographica: illa orbis nuper Hispanis navigationibus aperti sciographica: in tabella illa est Lucretia se interficiens.* I. *Quid quæso, dicit? nam moriens, vt videtur, loquitur.* V. *Multæ hoc mirantur, quia non*

cuique tantũ dolet. I. *Intelligo, quid dicat.* I. *Quid sibi vult tabella illa tam variè delineata?* V. *Ea est graphis hujus ædificii: reduc à tabula hac velum.* I. *Quid hoc est rei? vetulus sugens papillã fœminæ?* V. *Non legisti exemplũ hoc apud Valeriũ Maximum, titulo de Pietate?* I. *Legi, quid dicit illa?* V. *Nondũ tantũ rependo, quantũ accepi.* I. *Quid ille?* V. *Juvat genuisse. Ascendamus has scalas cochlides, singuli gradus lati, vt cernitis, ex singulis sunt saxis marmoris Basaltis. Hæc prima contignatio, habitatio est domini: cœnaculũ superius hospitale est: non quòd herus meus faciat cœnaculariam (quod absit) sed paratũ est hospitibus amicis, ornatum, semper instructũ & vacuũ, nisi quũ adsunt hospites. Hoc est triclinium.* I. *Bone* CHRISTE, *quæ fenestræ speculares: quàm scitè depicta pictura sciographica: qui colores! quàm vividi? quæ tabulæ! quæ signa! quæ coassatio. Quænã est historia vitrearum?* V. *Fabella Griselidis, quã aptè & ingeniosè confinxit Joãnes Bocatius, sed herus meus decrevit addere rei fictæ rem verã, de Godelina Flandrensi, & Catharina Angliæ regina, quæ superat inventũ Griselidis. Signa sunt, primũ illud Apostoli Pauli.* I. *Quod est lemma?* V. *O quantũ tibi nos debem⁹, tu Christo!* I. *Quid ipse loquitur?* V. *Gratia Dei sum quod sum: & gratia Dei in me vacua non fuit. Alterum illud est Mutii Scævolæ.* I. *Nec is est mutus, etiãsi Mutius: quid mutit?* V. *Non incendet, inquit, me hic ignis, quoniam alius major ardet intus. Tertiũ signũ est Helenæ. Titulus est: Utinam fuissem semper talis: minus nocuissem.* I. *Quid signat cæcus ille seniculus recalvaster, indice ad Helenam verso?* V. *Homerus*

est, dicit Helenæ: Quæ male tu fecisti, ego bene cantavi. I. En lacunar est deauratum admistis margaritis. V. Margaritæ quidē sunt, sed precii exigui. I. Quò spectāt fenestræ? V. Hæ in hortos, illæ in impluvium: hæc est diæta, seu æstiva cœnatio, en vobis cubiculū & cōclave. Cubiculū ornatū est tapetibus, pavimēto cōtabulato, storiis tecto, & imagines aliquot divæ virginis, Christi servatoris. Illæ alteræ sunt Narcissi, Euryali, Adonidis, Polyxenæ, qui dicuntur fuisse formosissimi. I. Quid scriptū est in limine superiore ostii? V. Recipe te in portū tranquillitatis affectuū. I. Quid in interiore poste forium? V. Ne induxeris in portū tempestatē. In conclavi illo clauso asservantur ferè prima vtensilia. Hoc alterū membrū est hibernum: vides omnia obscuriora & magis tecta: tum hypocaustū. I. Amplius, meâ sententiâ, quàm pro cœnatione. V. Non animadvertis, etiam cubiculū interius eodē vaporario excalfieri? I. Dicunt, cubicula esse calidiora, vbi nullum sit fumale. V. Non solent esse in æstuariis. I. Quæ est illa camera tam eleganter fornicata? V. Lararīū, seu sacellum, vbi agitur res divina. I. Vbi latrina? V. Supernè in granario habemus foricā, ne oleat, in cubiculis enim scaphiis vtitur herus meus, & trullis, & matulis. I. Turriculæ illæ, & pyramides, & pilæ & indices ventorū, omnia qua venustate, quàm admirabili arte! V. Descendamus: hæc est culina, hoc promtuariū, hæc cella vinaria, illa penuaria, in qua mirè infestamur rapacitate furum. I. Quà tandē est huc furibus ingressus? omnia video probè clausa & fenestras cum clathris ferreis. V. Per timulas & foramina. I. Mures ergo sunt, & mustelæ, quæ

vobis universum penum diripiant. V. *Illud est posticum domus, clausum semper duabus seris: affixa & pensili, nisi, quũ adest dominus.* L. *Cur fenestræ hæ non habent cancellos?* V. *Quoniam raro aperiuntur: spectant enim ad angustũ angiportum, ut cernis, & obscurum: raro quisquam hic assidet, aut profert caput: ideo & clathrare eas statuit herus meus.* L. *Quibus clathris?* V. *Fortasse ligneis: nondum est certũ: interea repagulũ hoc sufficit.* I. *Quàm amplæ columnæ, & porticus plena majestatis! Vide ut atlãtes illi & Caryatides specimen præferunt enitentiũ, ut fulciant ædificium, ne ruat, quum nihil agant.* L. *Tales sunt multi, qui magna videntur præstare, quum ociosi & segnes vivant: fuci, fruentes alienis laboribus. Sed quænam est domus illa inferior, huic adjuncta: tam male materiata & rimosa?* V. *Est vetus ædificium: quod quia ducebat rimas, & vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram à fundamentis erigere: illa nunc nidulatio est avium, & habitatio murium: sed breviter eam demoliemur.*

SCHOLA.

TYRO Tyro, Spudæus. XIII.

QUàm elegans gymnasium & magnificum! haud esse in Academia hac reor ullum præstantius. S. *Rectissimè judicas. Adde etiam, quod magis ad rem facit, nec alibi esse eruditiores magistros, aut prudẽtiores, quique majore dexteritate tradant doctrinã.* T. *Oportet igitur magna hic fieri disciplinarum operæ precia.* S. *Et quidẽ magnis cõpendiis discendi.* T. *Quãti docẽt?* S. *Amove te hinc ocyùs cum interrogatione ista tã prava, támq; importunas*

in re tanti momenti inquirendũ est de mercede? nec ipsi qui docent, paciscuntur: nec discipulos convenit id vel cogitare. Ecquod precium potest esse par? nũquámne Aristotelicũ illud fando audivisti? Diis, parentibus & magistris parẽ gratiã non posse rependi. DEVS creavit totum hominẽ, pareus genuit corpus, magister formai animum. T. Quid docent isti, & quàm diu? S. Habent sua singuli auditoria separata, & sunt doctores varii. Alii prima elementa artis Grãmatica laboriosè pueris toto die ingeminãt: alii penitiora tradunt artis, alii rhetoricen, dialecticen, & reliquas disciplinas enarrant, qua liberales seu ingenua dicuntur. T. Cur eo nomine? S. Quia illis dicet unumquẽque ingenuũ imbui. Contrà, qua sunt illiberales, circumforanea, sordida, qua vel labore corporum, vel manibus exercentur, servis potiùs congruunt, & hominibus, qui ingenio parum valent; in istis sunt alii tyrones, alii batalarii. T. Quid istiusmodi verbi est? S. Et tyrones, & batalarii, ex militia sunt nomina desuncta. Tyro vetus est verbũ, de eo, qui in militia exerceri incipit: batalarius Gallico nomine dicitur is miles; qui jam semel prælio (quod illi batalã vocant) interfuit, collatis signis, & manũ conseruit cum hoste: ita in palæstra literaria batalarius cœpit nuncupari Lutetiæ, qui publicè de arte quapiam disputasset. Hinc designantur doctores, quos à licentia Licentiatos appellant, melius designati dicerentur: postremò doctorã adipiscuntur, impositio in celebritate Academiæ pileo, ut quasi donetur libertate, & fiat emeritus. Is est hîc supremus honor, & summus dignitatis gradus. T. Quis est ille in tanta comitatu, quem clavarii præcedunt cũ clavis argenteis?

argenteis? S. *Is est rector Academiæ: multi eum assectantur officii gratia.* T. *Quoties in die docentur pueri?* S. *Aliquot horis: vna penè antelucana, duabus matutinis, & duabus pomeridianis.* T. *Tam diu?* S. *Ita fert mos & vetus Academiæ institutū: quin & discipuli duabus horis, quæ à magistris acceperūt, retractant & recolunt, & quasi mansum cibum ruminant.* T. *Tantis clamoribus?* S. *Nunc se exercent.* T. *Ad quidnā?* S. *Ad discendū.* T. *Imò verò ad clamandum: videntur enim non disciplinā meditari, sed præconium. Et ille alter plane furit: nam si haberet sanum cerebrū, nec ita vociferaretur, nec gesticularetur, nec se torqueret.* S. *Hispani sunt & Galli paulo fervēntiores: & vt sunt diversorū dogmatum, tantò ardentiùs concertant, quasi pro aris & focis, vt dicitur.* T. *Quid? doctores hic sequuntur diversa scita?* S. *Interdū tradunt placita contraria.* T. *Quos auctores interpretantur?* S. *Non eosdem omnes: sed, vt quisque est peritia & ingenio præditus. Eruditissimi & acerrimo judicio scriptores sibi sumunt optimos quosque, & eos, quos classicos vos grāmatici appellatis: sunt, qui, ex ignorantia meliorū, ad proletarios descendunt, atque etiam capite censos. Ingrediamur, ostenda vobis publicam gymnasii hujus bibliothecam. Hæc est bibliotheca, quæ ex magnorū virorum præcepto ad ortum æstivū spectat.* T. *Papæ, quantum librorū, quantum bonorū auctorū! Græci, Latini, Oratores, Poëtæ, Historici, Philosophi, Theologi, & imagines auctorum.* S. *Et quidē, quantum effici potuit, ad vivum expressæ, atq; eò precioſiores: forſuli omnes & plutei querni aut cupressini, cum suis catenulis: libri ipsi plerique omnes membranacei,*

& variis coloribus miniati. T. Quis est primus ille rusticano ore, naso repando? S. Lege titulos. T. Socrates est, & dicit: Cur in Bibliotheca collocor, qui nihil scripsi? S. Respondent sequentes, Plato & Xenophon: Quia, quod alii scriberent, dixisti. Longum esset persequi singulos. T. Hem, qui sunt illi abjecti in grandi illa strue? S. Catholicon, Alexander, Hugucio, Papias, sermonaria, dialectica & physica, sophistica: hi sunt, quos capite censos nominabã. T. Imo capite diminutos. S. Soluta sunt omnia, tollat qui volet, molesto nos liberabit onere. T. Vah, quot asinis esset opus ad istos asportandos: miror non esse ablatos, quum tanta sit vbique asinorum frequentia. Aliquando in eundẽ cumulũ conjicientur Bartoli & Baldi, & hujus farinæ homines. T. Imò furfuris. S. Non id esset humanæ tranquillitati damnosum. T. Heus, quid rei sunt illi in tam fluxis cucullionibus? S. Descendamus, bataliarii sunt, qui in palæstrã ingrediuntur altercatoriam. T. Quæso, introduct nos illuc. S. Ingredere, sed tacitè & reverenter. Aperi caput, & specta attentus singula: vam magnis de rebus disseritur, & quas plurimùm conducat cognoscere: ille, quẽ sedentem aspicis sublimẽ solũ, & præses est certaminis, & contentionum decretor, quasique agonotheta. Primum ejus munus est, loca concertantium designare, ne vlla sit confusio, aut perturbatio præire volentium. T. Quid sibi vult pellitum epitogium? S. Ea est ephestrii doctoralis, insigne ordinis ac dignitatis illius. Homo est in paucis eruditus, quique & in lectione candidatorũ Theologiæ primas tulit & ad eum doctissimus quisque primas defert, ex hoc ordine. T. Et Bardum aiunt lectum esse primũ uno anno. S. Is verò vicit cõpetitores omnes ambitu

& astu: non scientia. P. Quis est macilentus ille & pallidus, quē reliqui impetunt? S. Is est propugnator, qui impetum omnium sustinet, & ex immodicis vigiliis maciem ac pallorē contraxit. magnos is habet in re Philosophica & Theologica progressus. Au, tace jam, & ausculta. Nam, qui nunc oppugnat, acutissimè & subtilissimè solet excogitare argumenta, & acerrimè urget propugnatorē, omniumque sententiâ cum summis in hac disciplina cōparatur, & sæpe adigit concertatorē ad recantandū. Perpende, quomode ille conatus est eludere, quomodo alter confutavit valide ratione inconfutabili, & quā ille diluere non potuit: jam & jaculum hoc ast inevitabile, argumentū hoc est planè Achilles invincibilis, jugulū petit: non poterit propugnator se tueri, statim dabit manus, nisi subterfugium aliquod mittat ei divus aliquis in mentē. Hem! profligata est quæstio solertiâ decretoris. Jam solvo tuam linguā, loquere quātum voles. Nam iste, qui nunc impugnat, vappa est, pugione pugnat plūbeo & altius tamē clamat, quàm ceteri. Observa: videbis cum à pugna rancū discedere: hoc est ei perpetuum: & quantumcunq; repulsa sunt ejus tela, urget nihilo secius pertinaciter & acriter, sed inefficaciter: nec unquā vult habere argumētū suum pro derelicto, nec acquiescere vel defendentis responsioni, vel decreto præsidis. Is, qui nunc certamen ingreditur, delicatulè petit veniā à decretore, comiter præfatur, argumētatur invalidè, discedit sēper fessus, etiā anhelans: tanquā arduo munere fortiter perfunctus, discedamus.

CUBICULUM ET LUCUBRATIO.

Plinius, Epictetus, Celsus, Didymus.

PLIN. *Hora est à meridie quinta. Heus Epicte, claude mihi fenestras istas, & infer huc lumina ad lucubrandũ.* E. *Quæ lumina?* P. *Interea, dum hi adsunt, candelas sebaceas aut cereas: ubi recesserint, tolletis eas, & statuetis hîc mihi lychnum.* C. *Quorsum id?* P. *Ad lucubrandum.* C. *Quin studes potiùs de mane? tum enim videtur & tẽperis rario, & qualitas corporis invitare, quum est minimũ vaporũ in cerebro, peracta cõcoctione illa evaporatoria.* P. *Etiam hæc hora tranquillissima est, quũ quiescunt & silent omnia, atque iis, qui prandent & cœnant, nũ incõmoda. Nã sunt, qui cœnant tantùm more prisco; alii prandent solùm ex placitis recentium medicorũ: alii & prandẽt & cœnant more Gothico.* C. *An non ante Gothos erant prandia?* P. *Erant, sed levia. Gothi morẽ in uexerunt, bis in die saturũ fieri.* C. *Qua de causa Plato mensas Syracusanas damnat, in quibus quotidie exsaturẽtur bis.* P. *Ex eo colligas, fuisse rarissimas.* C. *Sed missa isthæc faciamus. Cur lucubras ad lychnum potiùs, quàm ad candelã?* P. *Propter flammã æquabilẽ, quæ minùs lædit oculos: illa enim crispatio myxi offerit oculis, & sevi odor inamœnus est.* C. *Utere cereis, quorum odor non est ingratus.* P. *Myxus est in his magis tremulus, nec vapor salubris: & in sebaceis ellychnium est lineum plerũque, non xylineum: ut propolæ isti ex rebus omnibus quærunt cõpendium cum fraude. Infunde oleum in lucernã hanc, profer acu myxum, & exfunga.* E. *Quàm hæret fungus acui? signum dicunt esse pluviæ, quemadmodũ est apud Virgilium: Scintillare oleũ, & putres cõcrescere fungos.* P. *Adfer etiam furcinulam, & emunge candelã hanc, ne projicias fungũ*

in pavi-

in pavimentũ, ne fumiget: sed opprime intra furcinula, quando est cõtecta. Profer mihi pallã lucubratoriam, prælongam illam pellitam. C. Ego te tuis libris cõmendabo. Minerva tibi opto propitiam. P. Paulim malim, vel, quod dicere debui, CHRISTVM IESVM, DEI sapientiam. C. Fortasse CHRISTVS Minervæ fabulâ adumbratur, vt quæ ex Iovis cerebro sit nata. P. Statue mensam super tibicines in cubiculo. E. Mavis mensam, quam pluteũ? P. Etiam, hoc quidẽ tempore: sed pone supra mensam pluteolũ. E. Stabilẽ an volubilẽ? P. Quẽ males. Vbi est Didymus meus à studiis? E. Eo illum accersitum. P. Et huc adducito puerum exceptatẽ: nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos, & pennas duas aut tres canna ampla, & thecã pulverariã. Profer mihi ex armario Ciceronẽ & Demosthenẽ, tum ex pluteo codicẽ exceptorium? & regesta majuscula (audin'?) & mea schedia, in quibus libet nonnulla expolire. D. Non arbitror, esse schedas tuas in pluteo, sed in scrinio conclavis. P. Id verò ipse scrutator. Affer mihi Nazianzenum. D. Non nosco. P. Liber est minimè spissus, consutus, & tectus mẽbrana ruditer. Affer quoque codicẽ quintum à primo. D. Quod est lema illius? P. Xenophontis cõmentariis liber est expolitus, tectus corio cum uncinulis & umbilicis cupreis. D. Non invenio. P. Nunc memini, in quarto loculamento eum repositi: illinc prome. In eo loculamento non sunt nisi libri saluti, & rudes, quales recens afferuntur ab officina. D. Et quod corpus Ciceronis posis? nam sunt quatuor. P. Secundũ. E. Nõdum est relatum à librario glutinatore, cui dedimus nudius, vt puto, quintus. D. Quàm placet tibi hæc penna?

penna? P. Non sum in eo valde sollicitus: quacunq; in manus venit, ea sic utor, tanquã bona. D. Hoc habes Ciceronis. P. Conquiescite, reclude mihi Ciceronem, aperi, evolve adhuc tria aut quatuor folia ad quartũ Tusculanarũ quæstionũ: quære ibi de mansuetudine & lætitia. E. Cujus sunt hi versus? D. Ejus ipsius, quos de Sophocle vertit: quod facit sane lubens, ac prompte sæpe. E. Erat credo ad carmen cõponendum satis aptus. C. Aptissimus ac facillimus: nec, ut illo seculo, infelix, contra quam existimant plurimi. E. Sed tu quomodo intermisisti studia poëtices? P. Aliquando repetemus succisivis horis, ut spero: nam habet multũ levamenti ab studiis gravioribus. Defessus sum jam studendo, meditando, scribendo: sterne mihi lectũ. E. In quo cubiculo? P. In lato illo & quadrato. & tolle ex angulo anaclinterium, transfer in cœnationẽ: pone super culcitrã plumeã alterã tomenti lanei: vide, ut fulcra lecti sint satis firma. E. Quid refert tua, qui non cubas in alterutra spondarũ, sed in medio? sed salubrius foret, si lectus esset durior, & qui corpori resisteret. P. Tolle cervical, & pro eo repone pulvinos duos: & in hoc æstu malo plagam illam, quàm arcta ista & lintea. E. Sine lodice? P. Etiam. E. Algebis, nam surgis ab studiis extenuato corpore. P. Injice ergo peristroma aliquod leve. E. Istud, nullum aliud stragula? P. Nullum, si sentiã frigus in lecto, poscam plus vestium, aufer illa peripetasmata: nam ad culices excludendos malo conopeũ. E. Culices paucos hic sensi, pulices & pediculos satis multos. P. Ego verò miror, te aliquid sentire, qui sic dormias & stertas. E. Nemo dormit melius, quàm qui non sentit, quàm malè dormit.

P. Nihil

P. *Nihil horum animalorum, quibus per ætatem in cubiculis infestamur, tam novet nauseã quam cimices, odore illa teterrimo.* E. *Satis bonus proventus est eorum Lutetiæ ac Lovanii.* P. *Est genus ligni, quod illos creat, Lutetiæ, & argilla Lovanii. Collocа hîc mihi horologium excitatoriũ, & obicem infigito in horam quartam matutinã: neque enim volo diutius dormire. Excalcia me, pone hic sellã plicatilẽ, in qua sedeam; matula in scabello sit mihi juxta lectulũ parata. Nescio, quid hîc olet malè, suffias paulum turis, aut juniperi. Cane hîc mihi lyra aliquid lectũ ingredienti, more Pythagorico, vt citius obdormiã, & somnia sint placidiora.* EPIC.

Somne quies rerum, placidissime somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui pectora longis
Fessa ministeriis fulcis, reparãsque labori.

CULINA. XV

Lucullus, Apicius, Pistillarius, Abligurinus.

LUCVL. *Es tu popino?* Ap. *Sum.* L. *Obinam agis?* Ap. *In popina galli gallinacei: num eges me?* L. *Etiam, ad nuptias.* Ap. *Sine me domũ transcurrere, vt præcipiã vxori, quemadmodũ sint tractandi ganeones, quos scio non solere in hac civitate deesse, tum etiã adventores.* L. *Audin' tu? reperies me in vico lapideo, in ædibus sutorũ.* Ap. *Continuò adero.* L. *Bene est, ingredere culinã.* Ap. *Heus Pistillarie, & tu Abligurine, ignẽ in Lare exstruite sub fumali grandib⁹ lignis, & quantũ fieri poterit, acapnis.* P. *Putas te esse Romæ? hic tabernas coctilitias non habem⁹, è quib⁹ ligna coctilia promuntur, habebis bene arida.* Ap. *Ni ita sit, tu, Abligurine suffitor, perdes oculos sufflando.* Ab. *Imò biba largiùs: vã vino.*

Ap. *Vã*

Ap. *Va aquæ, nam vinum hodie non attinges, si sim sanius. Nolo mihi evertas ollas, & auxillas confringas, & cibos corrumpas.* Ab. *Non vult ardere hic ignis.* Ap. *Injice fasciculũ aliquẽ sulphuratorum & fomitẽ, frustula aliquot cum his assulis.* Ab. *Extinctꝰ est prorsum.* Ap. *Transcurre ad ædes proximas cum batillo, & affer nobis torrẽ aliquẽ prægrandẽ, & prunas bene incensas.* Ab. *Metallarias est illic dominus, nec sinet carbonẽ vnum sub fornacibus sibi detrahi: citius oculum.* Ap. *Non est metallarius, sed metallicida: ito ergo ad furnum. Quid affers, titionẽ magis, quàm torrẽ.* Ab. *Non habebant prunas carbonis.* Ap. *Quid (malum) carbonis, cæspitum hic dixeris. Tu furcilla hac move ligna, & agita fomitẽ, vt ignẽ concipiat, sume pyrolabẽ, asine.* Ab. *Quid rei est isthuc verbum?* Ap. *Forceps igniaria, pruniceps.* Ab. *Quid mihi cum verbis Græcanicis? quasi desint Latina.* Ap. *Etiámne asini sunt grãmatici?* Ab. *Quid mirum, quũ & grammatici sint asini?* Ap. *Fac finẽ altercandi: volo carbones aliquot aut cæspites accendas mihi in hoc foco, ad testuacia lentè incoquenda. Suspende ahenũ ad ignẽ, ne desit aqua calida: tum in cacabum injice armum illum vervecinæ, cum bubula salita, cucumã igni admove cum vitulina, & agnina, in chytropode elixabimus oriza.* Ab. *Quid pulli?* Ap. *Coquentur in auxilla ærea, quæ stanno est illita, quo sapor sit gratior: sed non tam maturè verua proferes sub nonam, & pinguiaria: lupũ hunc sines in aqua lusutare paulisper, tum exenterabis.* Ab. *Carnes & pisces in eadẽ mensa?* Ap. *Maximè, more Germanico.* Ab. *Atqui hoc non placet medicis.* Ap. *Medicinæ non placet, medicis placet. Ego stipitẽ hunc*

gram

grāmaticum tantū esse existimabam: medicus etiam est. Ab. Nunquamne de hac quæstione illa audivisti, vrùm sint in civitate plures medici, an stulti? Ap. Quis te detrusit in culinam, quum sis tam sapere? Ab. Adversa mea sors. Ap. Imo, quod manifestum est, segnities tua, & socordia, & gula, & lurcacitas, & ingluvies, & animus degener, ac abjectus: ideò ambulas nudis pedibus, semiamictus veste obsoleta, & natibus breviore? Ab. Quid tibi cum mea pertinacitate? Ap. Nihil omnino, nec velim esse. Sed ad rem, ne præter rem plura, quàm oportet. Satisne sunt hæc jussa, superque infixa & inculcata? Scilicet vobis nunquam satis. Da mihi meam braccam: nam foras lubet prodire, continuo adero. Cedo tudiculam, insigne artis nostræ: hoc est meum fulmen & tridens. P. Heus Abligurine, statue hydrias illas in vrnario, & hanc bubulam abluito diligenter, & confricato in labro. Ab. Etiámne tu hic quoque imperas? Vnus imperator vnis castris sufficit: non sufficiet culinæ vnus? facito ipse, tu es acrior exactor operæ, quàm ipse magister culinæ. Non vocabo te posthac pistillariū, sed stimulū acutū. P. Imò voca me onocentron. Frange tu ergo vitulinam hanc in epixenio. Comminue paulum hujus casei, vt spargamus super hanc offam. Ab. Quomodo? manu? P. Non, sed tyrocnesti. Instilla huc guttas aliquot olei ex lecytho. Ab. Dicisne ex hoc capsace? P. Statue hic mortariū. Ab. Quod istorum? P. Illud aneum, cum pistillo ejusdē metalli. Ab. Qua gratia? P. Ad terendū petroselinum, hoc. Ab. Satius est in pila id fieri marmorea, pistillo ligneo. P. Quæso cantilla, sicut consuevisti. Ab. Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas. Vt sapiam

Vt sapiant fatuæ Fabiorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina pipérque coquus!

P. *Fabiorum, an fabrorum?* Ab. *Quare à ludimagistro loripede, & pro fabris & Fabiis referes egregiũ colaphum in gena, vel in bucca.* P. *Sic est homo?* Ab. *Vir strenuus & fortis, & manu promtus, celeritate manuum cõpensat linguæ tarditatem.* P. *Cedo vrnulam cervisiariam, exsiccatum habeo palatum, gurtur, fauces.* Ab.

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa,
Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?
Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Ap. *Vnde tu didicisti adeo ῥαψῳδεῖν?* Ab. *Inservivi nuper in Calabria ludimagistro cuidam poëtastro: qui sæpenumero cœnam aliam non dabat mihi, quàm cantillationẽ centum versuum, quibus mirificum aiebat saporẽ inesse: ego verò paulim panis & casei maluissem, aquæ erat satis domi, & licebat nobis de puteo bibere ex animi sententia: inde ego, quũ esuriens concessissem cubitum, pro epulis versus illos ruminabã & concoquebã: nec mihi aliud visum est remediũ ad bulimiam illam depellendã, quàm culinariam arripere.* Ap. *Quæ illi præbebas ministeria?* Ab. *Quæ Cæsar reipublicæ. Ego eram illi omnia, eram illi à consiliis, etsi nihil vnquã ageret consilio: à secretis, quum nihil haberet secreti, ne latrinam quidẽ: ego fundebã ei aquã lavandis manibus, quas nunquam abluebat: ego servabam ejus thesaurum.* Ap. *Quem thesaurum?* Ab. *Schedas aliquot pessimarum cantilenarũ, quas tineæ exedebant, & opici-*

mures arrodebant. Ap. *Imò doctissimi mures, qui malis poëmatis dentem infigebant.*

TRICLINIUM.

ARIST. Aristippus, Lurco. XVI.

QVid tu tam sero surgis, & quidẽ semisomnis? L. *Mirũ est me esse toto hoc die experrectũ, adeo heri edimus & bibimus.* A. *Imò vt appareat devorasti, ingurgitasti, obruisti te epulis, & vino: sed vbinam oneraſti celocẽ?* L. *Apud Scopam in convivio.* A. *Quin potius more Græco συμποσιον vocaris, quã Latino verbo, conviuium?* L. *Buccæ buccã impellebat, intritur æ & condimenta vellicabant, atque instigabant desidem stomachũ, & appetentiam non patiebantur delassari.* A. *Refer quæso, ordine omnia, vt vel auditione ipsa videar mihi interesse, & quasi vobiscum potare: vt ille qui in caupona Hispaniæ duos grandes panes comedit ad nidorẽ perditis assa, qui nidore vtebatur pro obsonio.* L. *Quis enarrârit omnia? majus negotiũ id fuerit, quã vel emisse, vel apparasse, vel (quod omnia superat) comedisse.* A. *Assideamus in hoc saliceto, ad crepedinẽ hujus ripulæ, & quando sumus otiosi, pro collocutione aliis de rebus vtemur hac ipsa, gramen erit nobis vice pulvinorum, innitere hac vlmo.* L. *In herba? an non humor nocebit?* A. *Quid? insanis, humor in ortu canicularis?* L. *Antea recusabam, nunc animus prurit mihi recensere tibi plus quã postulas: de convivio solùm quærebas, accipies etiam de domino, & de triclinio: rogabas, vt loquerer, efficiam vt mox paulò silentium roges, indicas, imperes: vt Arabium tibicen, qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus.* A. *Tu loquere quantũ libuerit, non tris molestus, quan-*

doquidē in opaco loco consedimus; & orationē tuam carduelis illa vel adjuvabit, vel ad harmoniam moderabitur, vt orationē Caii Gracchi servus fistulator. L. Quid isthuc est rei? A. Postquam tu feceris narrandi finem, audies de Gracchis & Graculis, & de Graculis. L. Deambulabamus forte transverso foro, ego & Thrasybulus nacti plusculum otii quam solemnu, adjunxit se nobis Scopas. Is à nobis, post primas salutationes, & blandum congressum, cœpit vehemēter cōtendere, vt postero die, qui hesternus fuit, apud se essemus: excusare nos primùm, alius alia: ego autem vadimoniū grave, & apud pratorē valde irritabilem. Sed ille, vt libenter ostentat suam magnificentiā, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonē. Quid multa? addiximus; ne molestus esse pergeret. A. Scin', quenam fuerit causa convivii? L. Qua tandē, quaso? A. Est quidē ipse homo locuples, ornatus argento, veste, supellectile: sed emerat phialas argenteas tres deauratas, & pateras sex: perisset precium, ni aliquos invitasset, quibus ostentaret: & alioqui eum ille existimat esse divitiarū fructū. Habétque vxorē, à qua exstimulatur ad profusionē, quā illa magnificentiā nuncupat. L. Heri ergo submeridiē convenimus in ejus triclinium. A. Qualis erat cœnatio? L. Hypathra, in opaco frigore: omnia sanè apparata, ornata, exculta: nihil deerat ad elegantiā, splendorē, & lautitias. Planè primo ingressu exhilarati sunt omnium oculi & animi, aspectu illo pulcherrimo atque amœnissimo. Erat abacus ingens, plenus bonis vasis materia omnis, ex auro, argento, crystallo, vitro, ebore, murrha: alia etiam vilioris materia, stannea, cornea, ossea, lignea, testacea seu figlina,

figlina, in quibus ars cõmendabat vilitatẽ ſubſtantiæ: nam erant toreumata permulta, omnia expolita, exterſa, fulgor penè perſtringebat oculos. Illic vidiſſes duo magna malluvia argentea, oris deauratis: vmbilicus erat aureus, cum inſignibus illius. Habebat vtrumque malluviũ ſuum gutturnium, quorum epiſtomiũ erat deauratũ: ſtabat & alterũ aquimina-rium vitreum, fiſtula deauratâ cum pollubro figlino, operis Malacenſis, probè ſandarachato. Phialæ omnis generis, & argenteæ duæ ad vinum generoſiſſimũ. A. Ad vſum meum ampullas vitreas malim, aut etiam teſtaceas, ex iis, quæ lapideæ dicuntur. L. Quid facias? ita eſt hominũ ingeniũ: non tam in his quæritur cõmoditas, quàm opinio divitiarum. A. Iſti opulentiſſimi ſæpius videtur aliis tales, ſibi inopes: ideo nullus finis proferendi & ingerendi oculis, præſertim qui nullã habent aliam bonã artẽ, qua fidant. Sed perge. L. Erat cymatiũ abaci tapete villoſo tectum, ex turcia vſque allato: poſitæ erant duæ menſulæ procul ab abaco, cum quadris & orbibus argenteis: vnicuique additũ erat ſuum ſalinulum, cultellus, panis & mantile. Sub abaco refrigeratorium, & œnophora grandia. Tum ſedilia varia, ſellæ, biſellia, ſubſellia: & domina ſella plicatilis parata, viſendi operis, cum pulvino ſerico, & ſuppedanio. A. Pone tandẽ menſam, & explica mappam: nã mihi inteſtina præ fame rugiunt. L. Erat menſa cibila ingens, ſegmentata, operis teſſellati antiqui, quæ fuerat principis Dicæarchi. A. O menſa antiqua, quàm diſpari domino! L. Illam ipſe emit in auctione ſatis magno, ſolùm, quod illius fuiſſet, vt aliquid haberet principis. L. Datur aqua lavandis manibus,

primum magnis recusationibus, & invitationib⁹ mutuis, & cedendo invicē. A. Idē factum est in cōsessu, quū quisq; se inferiorē altero faceret, illū extolleret comitate arrogantissima, quū vnusquisq; potiorē se reliquis omnibus censeret. L. Sed domin⁹ jurē suò distribuit loca: sacrata est mensa à puerulo breviter & perfunctorie, & non sine rhythmo: Quod oppositū est, & apponetur, CHRISTVS benedicere dignetur. Explicat quisq; suum chiromactrū, & injicit super humerum sinistrū: hinc cultello repurgat panem, si quid non satis putabat à ministro purgatum: nam decrustatus erat appositus. A. Sedebatis cōmodè. L. Nunquam cōmodius. A. Nō potuisti malè prandere: nam reliqua, sat scio suppeditatum iri redundanter, si quà modo fuerant in macello. L. Nusquam verius, copiaque ipsa nocet. Astat mensæ structor, cultellos & furcenulas cōponens: ingreditur magna pompa architriclinus cum longo agmine pucrorū, & exoletorum, qui gestabant fercula primi missus.

CONVIVIUM. XVII

Scopas, Simonides, Crito, Democritus, Polemō.

VBi nobis Simonides? C. Illico dixerat se venturum, simulac convenisset debitorē apud forum. Sc. Rectè habet: à debitore facilius se extricabit, quā à creditore. C. Quî istuc? Sc. Sicut in victoria, belli conditiones fert victor, non victus. Nam à debitore, quum ipse idem volet: à creditore quum alter. Sed convenistisne omnes, vt erat cōdictum, relicta domi severitate, afferentes vobis cum hilaritatem, lepores, venustates, gratias? C. Plane ita spero: & erimus, sicut monet Marcus Varro, belli homines? Sc. Reliqua mea cura sunto. C. Ecce tibi Simonides. Sc. Felicior. Si. Et vobis faustè. Sc. Expectatissimè. Si. Pla-

nè rusticanè: nam ad prandendũ eram invitatus, non ad exspectandũ. Sed quæso, fui vobis diu in mora? Sc. *Non valdè.* Si. *Cur non accumbebatis sine me? essetis saltẽ proœmiati de fructibus, quibus ego non admodũ capior.* Sc. *Bona verba, te absente assedissemus?* C. *Satis comitatũ: exordiamur jam opus. Optimum panẽ & levissimum: non plus habet ponderis, quàm si esset spongia: siligineus est sitanius, industriũ habetis pollinctorẽ.* Sc. *Roscius est pistrini curator.* Si. *Nunquámne in id conjicitur?* Sc. *Absit, tã frugi servus?* D. *Affer mihi autopyrum.* Si. *Mihi verò secundariũ, aut typhaceum.* Sc. *Cur talẽ?* Si. *Quoniã audivi, & ita sum expertus, minus me esse, quum panis non est sciti saporis.* Sc. *Heus puer, afferto ei panẽ cibarium, & vulgarẽ, etiam ex atro, si ita mavult: ita demum jucundissimè cõvivabitur, si quisque, quod maximè collubitũ erit, sumserit.* P. *Panis hic, quẽ tu tantopere probas, spongiosus, aquaticus est, malo densiorẽ.* C. *Mihi verò non displicet spongiosus, modò ne sit speusicius, hic verò etiã hectas attollit, quod focacei solent facere: quum sit, vti satis apparet, furnaceus.* P. *Cibarius hic panis & acerosus est, & acetosus: typhaceum dicas.* Sc. *Sic consueverunt nostri agricolæ triticum omne, quod huc important, acerare priùs in villa, & miscere multis generibus seminũ: sapor autẽ ex fermẽto est nimio.* P. *Nullũ hominũ genus est hoc fraudulẽtius: nõ malefaciũt, nisi quũ nesciunt.* C. *Panis hic non est satis fermẽtatus.* D. *Puta, te hodie Judæum, qui azymo vescebantur jussu* DEI. C. *Id quidem, quod homines essent pessimi: vt interdicta est illis suilla, qua nihil palato gratius: nec, si moderatè sumas, salubrius.*

Et quidem azyma jussi sunt comedere cum lactucis agrestibus, qua sunt perquã amara. P. *Illa omnia sensus habent altiores, omittamus hæc.* Sc. *Et quidẽ disputationẽ de pane. Si de obsonii fuerit tanta controversia: magna erit in toto convivio discordia.* C. *Accidet nimirum, quod Horatius inquit.*

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Sc. *Appone lances illas, & tympana, cum cerasis & prunis, & malis granatis, & Persicis pomis, & Persicis præcocibus.* P. *Cur Marcus Varro dixit, cõvivas non debere excedere numerũ Musarũ, quum de numero non cõstet? alii enim ponunt tres, alii sex, alii novẽ.* C. *Dixit, tanquã si constaret esse novẽ, & ita erat vulgò receptũ: vnde Diogenis jocus in ludimagistrum, qui paucos haberet discipulos, depictas autem Musas in ludo. Præceptor, inquit, σὺν ταῖς μούσαις multos habet discipulos.* D. *Sed estne verũ, Persas pomum, hoc, quod apud ipsos esset letale, invexisse in Græciã, ad pestẽ eorum, quibus cum bellũ gerebãt?* C. *Sic accepi.* D. *Admirabilis est in ingeniis terrarũ varietas.* India mittit ebur, *inquit Virgilius,* molles sua tura Sabæi. *Hem, cydonipersica.* Si. *Novũ insitionis inventũ, priscis incognitum. Cedo nobis paterã illam cum ficis duricoriis, qui sunt (vt nostis) prodromi.* Sc. *Satis est fructuũ: expleamus nos rebus aliis, salubrioribus corpori.* C. *Quid his salubrius?* Sc. *Nihil, si salubre & sapidum idẽ sunt, sicut in meridiano somno.* C. *Ego condono illis vocumentũ propter oblectamentũ.* Sc. *Non meministi versiculum Catonis:* Pauca voluptati debentur, plura saluti? *Dato singulis singulas gabatas cum*

jure

jure canium, vt ſorbeant: id verò & calfaciet inteſtina, & blande abluet, ad molliendũ ventrẽ. Si. Profectò, puer, amo te, de ſuilla hac ſalita. O pernã ſapidiſſimã! majalis eſt. Braſſicas illas cum larido, ſi mihi vis auſcultare, redde coquo, per hoc quidẽ tẽporis, aut ſerva in brumã. Lucanicæ hujus ſcinde mihi buccẽã vnã aut alterã: quò ſuaviùs bibam primum cyathũ. C. Pareamus medicorũ conſilio, admonentiũ, vt porcina addatur merum, funde vinũ. Sc. Sequitur actus fabulæ; fortaſſis hoc anni tẽpore præcipuus. Spectate hujus actus apparatũ. Primùm omnium à calicnlis cuſtos abaci ſcyphos expoſuit vitreos cryſtallini vitri, cum vino albo puriſſimo: aquã putes ſolo aſpectu. Sanmartiniũ eſt, & partim Rhenenſe non infectum: vt ſolent in Belgia: ſed quale in media Germania bibitur. Oenophorus relevit hodie ſerias duas, alterã vini Helvelli, ſeu flavi ex agro Pariſiẽſi: alterã ſanguinei Burdegalenſis. Habetis in apyroto alia parata, fuſcum, Aquitaniçũ, & nigrũ è Sagũto: petat quiſq; ex ſentẽtia palati ſui. C. Quid poteſt nunciari latius? vt nihil eſt durius, quàm perire ſiti. Ego verò mallẽ optimã nobis aquã proſpexiſſes: hunc nunciũ audiviſſem libentiùs, quàm de vino. Sc. Nec ea deerit. Si. Nuper quum eſſem in vrbe Roma, bibi apud cardinalẽ quendam vina generoſiſſima, omnifariam ſaporis: nam erã profecto cellæ vinariæ perquam familiaris: vinum dulce, acutum, leue, ſuave, auſterum. D. Mihi vehementer placet aigleuces. P. Sic ferè Belgicis fœminis. Si. In pagis quibuſdam Galliæ flocces apponuntur, ſecundarium autem vinũ & tertiarium habent in delicijs: ſed ea villa ſunt magis quàm vina, & alioqui vinum Gallicum totæ

genere nec aquã, nec ætatẽ fert: itaq; paulo post quàm est diffusum, bibitur, quippe post annũ inclinat illico, & fit dubiũ, tam fugiens, & acuit: quod si manserit diutius, emucet, & in vappã vertitur. Hispanũ vinum & Italicũ bene fert & aquã, & ætatẽ. D. Quid rei est vinũ fugiens? vientur probè dolia, & obserẽtur cellæ, imo & domus claudatur, si sit opus. P. Ut pomi fugientia, quæ ætati cedunt, nec servantur, & Quid sedere vulgo dicimus: cujus contrarium est vinum consistens. D. Funde mihi priùs aquã ad dimidium calicẽ: super hanc infundes vinũ, more veteri. C. Imò & hodierno multarum gentium. Galli & Germani contrà faciunt. D. Quæ nationes volunt bibere aquã vinatã, aquæ addunt vinum: quæ vinũ aquatum, vino superinfundunt aquam. C. Quæ verò vino aquam non affundunt, quid bibunt? D. Vinum purum putum. C. Etiam, nisi priùs à vinario sit irrigatũ. P. Baptizare id vocant, ut vinum sit Christianum: ea erat meo tẽpore elegantia Philosophica. D. Illi baptizant vinum, & seipsos exbaptizant. P. Pejùs agunt, qui injiciunt calcẽ, sulfur, mel, alumen, & alia dictu tetriora, quibus nihil est corporibus perniciosius: in quos publicè deberet animadverti, ut in latrones aut sicarios: inde sunt enim incredibilia morborum genera, & potissimùm arthritica. C. Ex conspiratione cum medicis id agunt, ut utriquerem augeant. D. Nimis mihi porrigis plenum calicẽ: deple, quæso, eum aliquantũ, ut sit locus aquæ infundendæ. C. Funde mihi in scyphum illum coloris castanei. Quid rei est? Sc. Nux prægrandis Indica, ab labris argento circumclusa: visnè in culullo illo lioni hebeni? quod ferunt esse salubberrimum. Ne addas tantũ aquæ, nescis vetus verbũ: Perdis vinũ infusa aquâ?

D. *Imò perdis vtrumque: aquã & vinũ.* P. *Malo vtrumq; perdere, quàm ab alterutro perdi.* Sc. *Lubétne potare more Græco ex illis pateris, & capaciorib⁹ poculis?* D. *Minimè verò. Admonebat nos modo antiqui proverbii: vicissim admoneo te præcepti Paulini: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et Servatoris nostri: Videte, ne graventur corda vestra crapula & ebrietate.* C. *Vnde est hæc frigida, tã pura & pellucida?* Sc. *E fonte proximo.* C. *Ad vinũ diluendũ malim cisternã, modò defæcatissimã.* D. *Quid? puteale?* C. *Vsib⁹ lavãdi aptior est quàm bibendi.* P. *Fluviale cõmendant plurimi.* C. *Rectè: si fluant amnes per venas auri, vt ferè in Hispania: & sit quieta, & liquida.* Si. *Mihi verò in phiala Samia illa affer aliquantũ cervisiæ, quã puto refrigerãdo corpori hoc æstu vtilissimã* Sc. *Ex qua tandẽ cervisia?* Si. *Ex tenuissima, nam aliæ nimiùm incrassant spiritus, & reddũt obesum corp⁹.* P. *Mihi itẽ dato, sed in vitro illo terete.* Sc. *Curre ad culinã quid illi cessant? quin mittunt missum aliũ? vides jam hinc neminẽ attingere? Affer pullos gallinaceos, elixos cum lactucis, buglossa hortẽsi, & intubo, vervecinã quoq; & vitulinam.* C. *Adde etiã in scutellis paulũ sinapis, aut petroselinati.* D. *Violenta res videtur sinapis.* C. *Non admodũ cõgruit biliosis: iis tamẽ, qui crassis, & frigidis humorib⁹ redundãt, haud inutilis.* P. *Idcirco sapiũt populi septẽtrionales, quib⁹ illa est magno vsui, præcipue cibis crassis & duris addita, vt bubulæ & salsamẽtis.* Sc. *Hoc loco existimo pultes & ptisanas vẽturas in tẽpore, leucophagũ, similaginẽ, amylũ, oryzã, vermiculos: edat quisq; ex quib⁹ volet.* D. *Vidi, qui à vermiculis hujusmodi vehemẽter abhorreret, quod autumaret collectos fuisse ex terra aut cœno, & vixisse aliquãdo.*

C. Scilicet metuebat, ne in aqualiculo ſuo reviviſcerẽt. Oryzam ferunt naſci in aqua, mori in vino. Cedo igitur vinũ. D. Ne bibe ſtatim à cibo calido, intermiſce priùs frigidi aliquid & ſolidi. C. Quid? D. Cruſtam panis aliquã, vel turundam vnam aut alteram carniũ. Si. Vah, piſces cum carnib⁹ in eadẽ mẽſa? mare miſcetur terræ? hoc verant medici. Sc. Imò hoc placet medicis. Si. Credo, quia illis vtile. Sc. Cur ergo vetant medici? Si. Erravi, à medicina prohiberi dictum oportuit, non à medicis. Sed qui ſunt piſces iſti? Sc. Appone ordine, primùm lupum illum aſſum cum aceto & capparibus, tum paſſeres elixos, cum ſucco lapathi acuti, ſoleas frixas, lucium recentẽ & capitonẽ: luciũ ſalitũ ſerva tibi, thynnũ aſſum recentẽ, & thynnũ in ſalſamẽto, manas recẽtes frixas, cruſtulata in quibus inſunt mulli barbati, murænæ & truttæ, multis cõditæ aromatis, gobios frixos, cãmaros & cancros elixos. Admiſce ſcutellas cum intritis, alliato, piperato, erucato. Si. Ego verò de piſcibus loquar, non edam. C. Si Philologus cœperit de piſcibus movere cõtroverſiam, hoc eſt, de re incertiſſima & cõtroverſiſſima: incipite nobis lectulos inſternere: hîc erit cubandũ. Sc. Nemo dignatur vel guſtare, tolle hæc. Si. Atqui cõvivia olim Romæ lautiſſima, & (vt ipſi ſoliti erant dicere) pollucibilia, ex piſcibus cõſtabant. C. Ita ſunt mutata tẽpora, etſi hoc etiamnum durat apud quoſdam. Sc. Importate aſſa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquedulas, palumbos, cuniculos, lupuſculos, vitulinam & hædinam, & intinctus ſeu embãmatas; acetũ, omphaciũ, oxypora, mala etiam Medica, & citronia, & olivas Balearicas conditivas, quaſſas, & in muria aſſervatas. D. Non adſunt Betica. Sc. Magis ſunt ſaporis ſciti

Balearica. Cr. Quid fiet grandibus illis belluis, anseri, cygno, pavoni? Sc. Ostreâ tantùm, & refer in culinã. P. Ham pavonẽ! Ubi est Quintus Hortẽsi⁹, cui erat in deliciis? Si. Tolle agninã. Sc. Cur tolletur? Si. Quia insalubris: ferunt, eam non alia exire, quàm quà intrarit. C. Vidi quendam devorare ossa olivarũ struthionicè. Sc. Ex quibus carnibus sunt artocreа istæ? C. Hæc est ex cervina. Sc. Hæc est damica, illa est, vt puto, aprugna. C. Cõdituras ipsas malim, quàm carnes. Si. Planè ita est, etiam res amaras cõdimentũ reddit suavissimas. C. Ecquod est vitæ totius cõdimentũ. D. Æquus animus. C. Aliud quiddam ego proferam, amplius & augustius. D. Quid tandẽ, hoc meo? C. Pietas, sub qua & animi æquitas cõprehenditur, & ad res vniversas, asperas, faciles, medias, cõdimentũ aptissimũ & jucundissimum. Sc. Infunde vinũ albũ Hispanicũ in carchesiũ illud, & circumfer per convivas. D. Quid paras agere? sub prandii finẽ propinas nobis vinũ forte ac generosum: dilutius erit posthac bibendum, si consultum cupimus valetudini. Si. Rectè mihi videris admonere: frigida enim oportet esse in cõvivio postrema, quæ pondere suo cibos ad imum ventriculũ detrudant, & vapores caput impetentes cohibeant. Sc. Tolle ista, muta orbes & quadras, da secundam mensam: nam nemo extendit vsquam manum. C. Adeò voravi initiò avidè, vt statim amiserim appetitum. D. Ego itẽ non appetitione, sed impetu feror ad primas dapes: inde me expleo. P. Nescio, quid edi de piscib⁹: id gustũ meũ prorsus retudit. Si. Tantúmne bellariorũ apparatũ & cupedines, quũ nihil supersit ampliùs cupediæ! pira, mala, caseus multiplex, sed palato meo cõgruentissimus est hippax. C.

Non reor hippacē esse hunc, sed Phrygium, ex lacte asini, qualis è Sicilia usq; advehitur, columellari forma, & quadra: qui quū frāgitur, in laminulas finditur, sive philyras. D. *Caseus hic, etsi Britānicus, fistulosus est: non erit, mea vtiq; sentētia, vobis gratus.* C. *Sed neq; hic spongiosus Hollandicus. Parmēsis hic est bene cōpactus, & satis (vt videtur) recōs: & ille Penafellius facilè cum Parmensi certarit.* D. *Non est Parmēsis, sed Placentinus.* C. *Etiam si placet: vulgo Germanorū suavissimū est caseus vetus, putris, confriatus, & vermiculosus.* Si. *Qui talē edit caseū, sitim venatur, & edit, vt bibat.* Sc. *Pistor dulciarius nimiùm moratur: quin affert scriblitas, & artolaganā testuacia, & sartaginea, cōsperſione in cacabū injecta olei ferventis, melle superfuso.* C. *Caryotas da mihi aliquot, & ad edendū, & ad servandū: fortasse nocte hac nihil edam aliud.* Sc. *Cape igitur spathalium hoc integrū: vin' ex malogranatis?* P. *Heus puer, spolia nobis hanc palmā agrestē, & da, quod est esui.* Sc. *Potionis vos admoneo: scitis Aristotelis esse opinionē, tragemata esse inventa, vt ea nos ad bibendū invitent, ne cibus in arido coquatur.* C. *Oportet ergo inventorem fuisse vel nautā, vel piscē, qui adeò timeret aridatē.* Sc. *Affer ea, quæ solent vocari sigillū stomachi, post quæ nihil est nec edendū nec bibendū: buccellatum, cydoniatum, coriandrū saccharo contectū: hoc verò manducandū est, non edendū: sed, quod ex māso reliquum est aridū, exspuendū. Collige frusta & reliquias in canistris: affer aquas odoriferas, rosaceā, flores mali medici, moschatā.* P. *Agam' Christo gratias.* Pu. *Agim' tibi gratias, Pater, qui tā multa ad hominū vsus cōdidisti: annue, vt tuo favore ad cœnā illā veniam' tuæ venturissimis.* P. *Agam' nunc Do-*

mino gratias. C. Age tu. P. Imò agat Democrit⁹, qui in hisce rebus multum valet. D. Gratias tibi nõ possum agere pro merito, hoc statu Reip. vides enim, omnia à Baccho perturbata: sed recitabo, quas Dionysio egit Diogenes; nã mandavi memoriæ: tu lubenti memoriæ, & linguæ titubanti, in tanta eluvione, habebis veniã. Sc. Dic, quicquid libuerit, scribetur in vino. D. Defatigasti teipsum, Scopa, uxorẽ, famulos, famulas, vicinos, coquos, vt nos magis comedẽdo & bibendo delassares. Socrates sapienter, qui in mercatũ celeberrimũ ingressus exclamavit: O dii immortales, quàm multis ego non indigeo! tu contrà posses dicere: Hæc omnia quotula portio sunt eorũ, quibus ego indigeo? Naturæ placent modica, & illis ea sustẽtatur ac fulcitur: hæc tã multa, tã varia, obruunt naturã. Meritò Plinius: Varietas ciborũ hominì pestilens, pestilentior cõdimentorũ referimus hinc domum gravata corpora: referimus animos obrutos ac demersos cibis & potionibus, vt nullo hominis officio rite possimus fungi. Tu ipse judicato, ecquã tibi gratiã debemus. Sc. Hæccine est gratia, quã habetis? sic repẽditis prandiũ tam opiparũ? P. Ita planè. Quod enim majus beneficiũ, quàm vt fias sapientior? Tu nos domũ remittis planè bruta: nos te domi tuæ voluimus hominẽ relinquere; vt scias cõsulere tuæ ac alienæ valetudini, & secundùm naturæ desideria vivere, non juxta corruptas ab stultitia opiniones. Vale & sape.

EBRIETAS. XVIII

Asotus, Tricongius, Abstemius, Glaucia.

QVid tu dicis, Tricongi? quàm lautè nos heri accepit Brabãtus ille? T. Malè sit illi: non potui tota nocte quiescere. Vomui (sit habitus honos vestris auribus) convolvi

cõvolvi me subinde toto lecto, modò ad sponda interiorẽ, modò ad exteriorẽ: fauces & stomachum videbar mihi rejecturus: nunc præ dolore capitis nec oculorũ officio possum fungi, nec aurium: lamina ponderosæ plumbi videtur mihi in frontẽ & oculos incumbere. As. Frontẽ & tẽpora fortiter astringe fascia: & rex videberis. T. Seu ipse potiùs Bacchus, à quo institutũ manavit diadematũ in reges. Ar. Recipi te domũ, & edormi crapulã. T. Domum verò? nihil æquè fugio & averſor, vt domũ & vxorẽ clamosissimã: ea si me nunc aspiceret, longiores haberet homilias, quàm Chrysostomus. Ab. Hoccine appellas tu lautè tractari? G. Planè ita est: nam laverunt probè guttur & fauces. Ab. Manus verò? G. Ne semel quidẽ. As. Imò sæpe vino & lacte, dum alii in aliorum pateras immittebamus manus. G. Quid potest dici lautiùs? & quidẽ digitos pingui carnium & embammatis inviscatos. Ab. Tace, per divos, qui posset absque nausea rem adeo audire obscœnã? quantò minùs videre, aut de ejusmodi vino aut lacte gustare? As. Divi vestrã fidẽ, adeon' es, Abstemi, delicatus, vt hæc ne auribus quidẽ possis devorare: quid faceres palato, vt nos? Sed heus tu, Tricongi, cõpotator suavissime, mittamus puerũ aliquẽ, qui nobis illa phiala fictili afferat ex eodẽ vino, nulla est certior huic veneno theriaca. T. Estnè hoc exploratũ? As. Quid ni esset? memineris versus, quot cantat Colax: Ad sanandum morsum canis nocturni sumo ex pilis ejusdẽ canis. G. Narra, quæso, de cõvivio. Ab. Ne narres, nisi velis me revomere, quicquid habeo in ventriculo, cum ipsis vitalibus. G. Facesse igitur paulisper. As. Ego narrabo quàm cõmodissimè vt nusquã sit honos præfandus.

dus. G. Incipe, obsecro, adverte animum. Abstemi. Ab. O Glaucia mi, ante omnia istud ex me habe, nullũ esse hominum genus, quod cõparari possit cum festivo & largo cõvivatore. Quidã ostentant eruditionẽ rerum variarum, id est, mera nugamenta: alii jactant experientiã & vsu collectam prudentiam, quorsum id? Sunt, qui habẽt quidẽ ope, sed non audẽt expendere miseri: quid eos juvat asservare? Benignus cõvivator vbiq; prodest, vbiq; est gratus: vel solus illius aspectus exhilarat tristitiã animi, & discutit, si qua est in eo miseria; sive recordatione cõvivii, sive spe atq; exspectatione. Alia omnia, qua dicuntur bona animi, nec ego video, & sunt jejuna atq; infrugifera. Ab. Rogo te, Asote, quis est auctor tam bonæ sententiæ? As. Ego & omnes mei simile, id est, plerique ex Gallia Belgica, à Sequana ad Rhenũ flumẽ: tantùm dissentiunt inter nos homuli quidã, vel miseri & præparci, qui Abstemio suũ invidẽt cognomen (frugi volunt appellari) vel quidã magni sapientiæ opinione suffarcinati, id est, inani nomine, quos etiam nos (id est maxima pars hominũ & præcipua) ridemus. Ab. Quid audio? G. In hoc iste non falletur, etsi ebriosus: nam nusquã eruditio minùs habet precii, quàm in Belgica, non aliud esse rentur virum eruditione præstantẽ, quàm suturâ vel textura. Ab. Atqui studeant hîc multi, non infelici profectu. G. Deducuntur à parentibus parvi filii ad scholas, tanqnã ad opificium, qnò parẽt sibi deinceps victũ. Ipsi etiam scholastici, dictu incredibile, quàm parvi institutores suos faciant, quàm prosequantur honore exiguo, & præmiis adeò tenuibus, vt doctores insignes ac primi nominis tolerare sese vix possint. As. Ista sunt ab

instituto

instituto sermone aliena: revertamur ad convivium. T. Hoc malim audire, & missos faciamus jam tandē sermones istos studiosos, qui sunt profecto infrugiferi. As. Nescio quēadmodū vos Itali de eruditione statuatis: mihi certè res videtur non solū in utilissima, sed etiā damnosa. Ab. Idē videtur bovi & sui, quod tibi: & nobis quoq; videretur, si non plus haberemus mentis quā tu. As. Nō esset finis. Itaq; audi jā. Primū omniū accubuim⁹ severi & tristes, sacrata est mēsa, silentiū ubiq; & quies cœpimus expedire cultellū quisq; suum, speciē prebebamus non invitatorū sed invitorū: adeo id diceres, facere nos coactos, & faciebam⁹ revera admodū segniter: nondū enim incaluerat animus ordore illo libero: aptat quisq; mantile suum humeris, nonnulli etiā pectori: alii de mappa extendunt super gremiū: sumit panē, aspicit, volvit, purgat, si quid esset carbonis aut cinerum, decorticat: & hæc omnia lente & cunctabunde. Quidā aspicati sunt cœnam à potione: alii priusquam biberent, paululum sumpserunt acetarii: & bubulæ salitæ, ad excitandū dormiens palatum, & stimulandū languidulum: primus scyphus fuit cervisiæ, ut frigidum cæmentum substerneretur ardori Vini. Allatus est sacer ille liquor, primum poculis angustis & exiguis, quæ magis sitim irritarēt, quam restinguerent: dominus homo festivissimus, qui potiorē in hac tota regione nullū habet, ac ne parē quidē, mea utiq; sententia (quod sit dictū sine cujusquā injuria) jubet afferri pocula capacissima, & cœptū est largiter potari more Græco, ut dicebat illic philogræcus quidā qui Lovanii olim studuerat. Ibi cœpimus loqui, tum incalescere, hilaritas ubiq; & risus diffusissimus: O cœnæ noct-

ne noctesq; deorum! alii aliis præbebimus, & magna æquitate faciebamus paria: nefas erat sodalem fraudare, tali præsertim tempore. Ab. Meritò, quum agitur non de calice vini, sed de sensu & mente, rebus in homine præcipuis. Sed vt hac de re tam læta, tam festiva, tu & ego colloquamur, primùm rogandus es, an sis ebrius? As. Nõ revera, & facile est cognoscere ex ordine orationis meæ: nam, si essem, putes me hæc referre potuisse adeò cõpositè. Ab. Rectè est: alioqui, juxta Mimi versiculũ, cum absente litigarẽ. Principiò, cur non exstruitis tẽplum aliquod in hac regione Baccho, cœlestis hujus liquoris repertori? As. Hoc vestrũ est, qui adẽ habetis Romæ Sergii & Bacchi: nobis satis est quotidie illi passim sacra facere. Et fortasse erigeremus tẽplum, si constaret, fuisse illum inventorẽ: nam de ea re audivi disceptari inter studiosos quosdã. Sunt, qui putent primũ fuisse Noã, qui vinum biberit, quique sit inebriatus. Ab. Dimittamus ista. Cedo, quod vinum bibebatis? As. Quid vostra refert, quod sit vinum aut cujas: habeat modo nomen & colorẽ vini? id satis est nobis: delicias illas quærat Gallus aut Italus. Ab. Quæ ergo potest esse delectatiõ, quũ id non gustas, quod in corpus ingeris. T. Fortasse nonnulli initiò aliquid gustant, integro palato: mox verò depravato ex tãta humoris redundantia, gustum omnẽ amittunt. Ab. Siti jam exstincta, nulla supereſt voluptas, quæ tota ſita est in satisfaciendo desideriis naturalibus, ita vt tormẽti sit genus sine siti bibere, aut sine fame edere. T. Putas nos, Abstemi, ad voluptatẽ potare aut, quòd sit jucundũ? Ab. Tantò ergo estis pejores bestiis, quæ aviditatibus naturalibus aguntur: vos neque illuc ducit ratio, &

retrahit natura. T. Ducit nos ſodalitas, & paulatim inebriamur imprudentes. Ab. Quoties eſtis inebriati, quoties alios ebrios vidiſtis? T. Quotidie plurimos. Ab. Non ſufficiunt ergo tam multa experimenta, ad devitandã rem tam fœdam? Atqui bellua vel vno experimẽto fieret cautior. G. At ſodales iſtos, in quorum gratiam tranſeunt ex hominibus in beſtias, ſcis, quàm habent charos? dum potant, darent illis præcordia? digreſſi illinc, vix agnoſcunt: vitã & animã cujuſvis illorũ nollẽt redemtã ſibi numo ſeſtertio. Ab. Quibus ex poculis hauriebatis vinũ, & quomodo? As. Primùm allataſunt vitrea, paulò poſt, ob periculum ſublatis illis, exhibita argentea. In vinum injiciebamus à primo herbulas, quòd id ſuaderet anni tempus: paulò poſt jus carnium, lac, butyrum, cremorem. Ab. O ſpurcitiẽ, ne belluis quidẽ tolerabilem! T. Quanto tu τραγικώτερον exclames, ſi ſcias, alios in aliorum pocula manus ſordentes immittere, cõjicere ovorũ, & pomorũ & nucũ putamina, & olivarum ac prunorum oſſa. Ab. Abſtine ab hiſce narrandis, ſi vis ne me hinc in ſilvas aliquas fugâ abripiam. T. Audi tu in aurem, Glaucia. Quidã horũ geſtant in faciendo itinere cornu venatorium, plenum, vt neceſſe eſt pulvere & ſtipulis, & floccis, & ſordibus aliis: ex hoc bibimus. G. Quid? T. Quid verò? vinum. G. Imò verò mentem. T. Planè ita eſt: &, poſt epotam mentẽ, matulis non admodũ mundis, ſumtis de ſcamno lecticali, vſi ſumus pro calicibus. D. Quis fuit cõvivii exitus, tanquam fabula? As. Natant vino pavimenta. Inebriati ſumus omnes, hoſpes in primis homo ſtrenuus, dejectis ſub menſam magna victoria duobus vel tribus. Ab. O præclarã victoriam, & de re pulcherrima ac præ-

dicanda! Sed omnes tamen vinum vicit? As. Etiam. Ab. Miserũ te, quid putas esse ebrium? As. Probè & ex animi sententia indulsisse genio. Ab. Cui genio? bono, an malo? G. Si rectè omnia scruteris, nusquam invenies, cui indulgeant: neque enim animo, nec voluptati, nec vlli rei alteri, cui alii indulgent, qui vitiis obtẽperant & pravis animi cupiditatibus. Sed inebriari, est sensuũ facultates amittere, exire de potestate rationis, judicii, mentis: planè ex homine fieri vel pecus vel saxum. Quæ deinceps sequantur, etsi nunquã ebrios vidi, tamen facillimũ est conjectare: loqui, & nescire, quid loquaris: si quid cõmissum est tibi arcanũ, maximè celandũ, effutire: atq; ea dicere, propter quæ te, & tuos, & sæpe patriam, ac provinciam vniversam in grave discrimen adducas: nulla distinctio amici & inimici, vxoris & matris: rixæ, jurgia, inimicitiæ, plagæ, vulnera, mutilatio, occitio. T. Etiam sine ferro & sanguine: nam non pauci cõmutant ebrietatem cum morte. G. Quis non malit domi se cum cane aliquo aut fele includere, quàm cum ebrio? plus enim mentis est in illis animantibus. Ab. Post ebrietatẽ verò cruditas, debilatio nervorũ, paralyses, arthritici cruciatus, gravedo capitis & corporis totius, hebetatio sensuum omniũ: memoria exstinguitur, ingenii acies retunditur: vnde stupor in tota mente, & ad intelligendum sapiendúmque, & ad eloquendum. As. Jam incipio intelligere, magnum esse malum ebrietatẽ: posthac dabo sedulã operã, vt bibã ad hilaritatẽ, non ad ebrietatẽ. G. Hilaritas est janua ebrietatis. Nemo venit ad bibendum eo animo, vt inebrietur, sed bibendo exhilaretur: continuo post sequitur ebrietas. Difficile est enim

enim signare hilaritatis metam, atque in ea sistere. Lubricus est gradus ab hilaritate ad ebrietatẽ. Ab. *Dum vinum habes in scypho, illud est in tua potestate: dum in corpore, tu es in illius: haberis jam, non habes: quũ bibis, tu tractas vinũ pro tuo libitu: postquã biberis, illud te tractabit pro suo.* As. *Quid ergo? nunquámne est bibendũ?* Ab. Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt: *Bibendũ quidẽ, non putãdũ. Natura sola in hoc docet bruta, hominẽ non docebit eadẽ natura ratione adjuta? Edes, quũ esuries; bibes, quũ sities: fames & sitis admonent, quantũ, quando, quatenꝰ edendũ & bibendũ.* As. *Quid si semper sitiã, nec sitim possim mitigare, quin fiã ebrius?* Ab. *Bibe, quod inebriare non possit.* As. *Non fert cõstitutio mei corporis.* Ab. *Quid si tantùm esuries, vt exsatiari nullo sibo posses nisi disrũpereris?* As. *Ea verò non esset fames, sed morbus?* Ab. *Nimirũ opus esset medicina ad eã famẽ tollendã, nõ dapibꝰ: nonne?* As. *Quid ni?* Ab. *Eodẽ prorsus modo medico tibi esset opus ad eã sitim, non caupone: & potione de pharmacopolio petita, non de œnopolio: nam est ea sitis, sed morbus, & quidem perniciosus.*

REGIA. XIX

AG. Agrius, Sophronius, Holocolax.

QVid est, quòd tã multi regẽ comitantur, tã vario cultu? S. *Quin tu potiùs vultus contẽplaris, quàm cultus? magis sunt enim vultus varii ac diversi, quàm cultus & vestitus.* A. *Istud quoque de vultibus quámnã habet causam?* S. *Vestiuntur quidẽ aliàs pro facultatibꝰ, aliàs pro ratione dignitatis aut generis, sæpe etiã, vt cujusq; est vel ambitio, vel vanitas: multi quoque vestimentorũ elegantia vtuntur pro hamo & reti, ad fauorẽ captãdũ vel regis, vel*

procerũ, animos puellarũ non rarò. Vultus autẽ affectus animi sequitur: talis est ferè, qualis interior animi habitus. A. Sed cur tã multi huc cõveniunt? H. An non decet, vt plurimi sint, vbi est caput & regimẽ provinciæ totius? S. Optimè, sed pleriq; non adeo rem publicã spectant, vt privatã: & sequuntur eum, in cujus manu est regimẽ non tã patriæ, quàm fortunarũ. H. Quid ni? quandoquidẽ omnia sunt pecuniæ venalia. S. Sic judicant illi, quib⁹ anim⁹ & mens nihil omnino est: valetudo autẽ, & dotes corporis, viles. A. Quid opus est in hoc tumultu aulico tanta Philosophiæ speculatione? ego verò malim de vobis intelligere, quinã isti tanto numero, tã varia specie ac forma? H. Ego tibi omnes percensebo ordine: nã Sophronius hic, quantũ intelligo, non est admodum in regiis versatus: ego verò comitatus omnes regios adii, penetravi, & perscrutatus sum, perspexi, gratus semper omnib⁹ & jucundus. S. Inde, credo, parasti tibi cognomen illud Holocolacis. H. Rẽ tenes: sed tu, Agri, ausculta. Ille, in quẽ aures, oculi, mens omniũ intenta est ac defixa, rex est, caput Reipub. S. Verè caput, & ideo salus, quũ est sapiens, ac prob⁹: pernicies autẽ quum malus. H. Ille, qui pone sequitur, puell⁹, est filius ejus hæres, quẽ in aula Græca vocabãt δεσπότην, hoc est, dominũ: in Hispania vocãt principẽ, in Gallia Delphinũ. Torquati illi in vestib⁹ holosericis, & holobryzis, proceres sunt regni, insignes dignitatũ militariũ nominib⁹, principes, duces, præsides limitanei, quos marchiones nominãt, comites, viri, qui barones voce barbara nominãtur: equites. Ille est magister equitũ, quem vulgò comitem stabilem appellant, nomine ex aula Græca sumto, vbi magnus Comestabulus cognominabatur, sicut perfectus maris admiralus.

Est & prætorio præfectus, qui nõn solùm palatio præerat, sed etiam satellitio, quẽ Romuli tẽpore præfectũ Celerum nominabant, & satellites ipsos celeres. A. Quinã sunt illi in vestibus talaribus, magna severitate vultus? H. Sunt regii cõsultores. S. Istos, quos in consilium adhibet princeps, prudentißimos esse oportet, magni rerum vsus, & in decernendo gravitatis ac moderationis summæ. A. Qui isthuc? Sop. Quia sunt oculi & aures principis, atque adeò regni vniversi, & eò magis, si cæcus & surdus sit rex, captus suis sensibus vel ab arrogantia vel à deliciis. A. Etiamne luscus ille, & ille alter surdaster, oculi atq; aures sunt regis? S. Pejor est cordis cæcitas & surditas. H. Eos, qui sunt à consiliis, sequuntur scribæ nec ii pauci vel vnius ordinis: tum qui pecuniam principalẽ tractant vel procurant, coactores, tribuni ærarii, præfectus fisci, procurator fisci, & fisci advocatus. A. Qui sunt juvenes illi cõtuli & festivi? qui semper regẽ sectantur, & adstant illi alii arridentes, alii ore aperto velut admirabundi? H. Hæc est cohors intimorũ amicorũ, delicia atque oblectamenta regis. A. Duos illos ingredientes cur assectantur tam multi vultuosi? H. Quia iis est apud regẽ fides præcipua: alter est præfectus sacris scriniis, sive princeps scribarũ: alter à secretis arcanis, apud quẽ est regni breviariũ. Idem est principi à memoria: eáq; de causa offerunt se illi quotidie tam multi, vt memoriam illius de se refricent ac renovent: quandoquidẽ is est principis memoria. Illi autẽ qui ducunt vultus, sunt litigatores, quique res suas persequuntur: nec eorum vnquã negocia finẽ inveniunt, longa contexta serie procrastinationũ. Duo illi, qui deambulant in porticu, præfecti sunt, alter cubiculo, alter regio equili-

habent hi ſub ſe alios permultos, cubicularios & equiſones. Sed ingrediamur regiã cœnationẽ. A. Ah, quanta turba; qui apparatus tam anxius & moroſus? S. Id verò majore cum admiratione fueris intuitus, ſi ſcias quàm levẽ ad rem pertinent, nempe, vt ſorbeat ouum vnum, & puſillũ vini bibat nauſeabundus. H. Ille eſt hebdomada hujus architriclinus, cum ſcirpo Indico: pocillator eſt adoleſcens ille: ſtructor nondũ eſt ingreſſus. A. Qui ſunt cum rege prãſuri? H. Quiſnam eſſet tam beatus, qui poſſet epulis accumbere divûm? S. Atqui olim regiæ menſæ adhibebantur convivæ, modò duces exercitati, modò viri claro genere: aliàs inſignes vel vſu rerum, vel eruditione; quorũ ſermone rex fieret melior ac ſapientior. Sed Gothica & aliarũ barbarorũ ſuperbia, morem hunc noſtrũ invexit. H. Habent proceres aſſeclas ſuos armigeros, & exoletos, pueros pediſſequos, pueros à pedibus, ſive à calcari. Sunt inter eos divites magnificentiſſimi, qui pleroſque excipiunt cœna recta: alii, quibus hoc moleſtũ videtur, mittunt amicis ſportulas: idque eſt amicis tenuoribus vtilius: ſed recta cõvivari plus habet ſplendoris. A. Aliud hominũ genus videre mihi videor in illo cœnaculo. H. Illud eſt gynæciũ, ibi regina habitat cum matronis ſuis & puellis: aſpice, vt ingrediuntur & egrediuntur ex parthenone, tanquã apes ex alveario, juvenes amatores, mancipia Cupidinis. S. Sæpe & ſenes bis pueri. H. Nihil eſt majoris voluptatis, quàm audire illorum acutè excogitata dicta vel poëmata, cantiunculas, melodias antelucanas, confabulationes cum puellis: videre ſaltationes, obambulationes, varietates colorũ in cultu habitus & formas veſtimentorum: habent

pueros amanuenſes, per quos mittuntur & remittuntur mandata: hi verò nunciant & renunciant vltro & citro mãdata, qua ſolertia, diligentia, educatione? Divi veſtrã fidẽ, nudus capitibus, flexo poplite, atque etiã poſitis genib⁹! Audire eſt quotidie & videre aliquid novi, inopinati, acutè & ſubtiliter excogitati, vel dicti animoſè, aut dextrè, aut ſolutè facti. S. Imò diſſolutè. H. Quæ felicitas major? quis poſſit ab hujuſmodi ſuavitate divelli? S. Colax, Colax, & tu ſine amore inſanis, & ſine vino ebrius es: quæ ineptiat poteſt eſſe major, quàm iſta abs te deſcripta? H. Neſcio, qui fiat, vt ex ſcholis videas pleroſq; diſcedere: ingreſſi ſemel aulã, in ea cõſeneſcant. S. Tanquã qui de Circes poculo biberant, amiſſa mẽte, & in beluarum ingeniũ degenerãtes, nolebant inde egredi, & ad hominũ naturã ac cõditionẽ redire. A. At hi omnes, quũ ſe ad ſuã quiſque domũ receperunt, quid agunt? quibus ſe actionib⁹ occupant, vt ſaltẽ fallant tempus? S. Pleriq; omnes nihil magis addunt ſeriũ, quàm quod cernis: atq; adeò ocium illis multorũ vitiorũ parens eſt ac nutricula. Ludunt quidã taxillis, chartis, alueolo, aciebus: alii per occultã detractionẽ, & artificioſam maledicentiã, horas pomeridianas tranſmittunt, hoc eſt, quib⁹ domi deſident: aliqui mirificè capiuntur ſcurris & planis, in quos ſunt profuſiſſimi, cætera præparci & ſordidi. Sed præcipua aulæ corruptelæ eſt aſſentatio vniuſcujuſq; erga alios omnes, quódque pejus eſt, erga ſemetipſum: ea efficit, vt nullus vnquam nec à ſe, nec a ſocio veritatẽ conducibilẽ audiat, niſi fortè in jurgio: quam is tum parũ pro veritate accipit, ſed pro contumelia. H. Hic quæſtus eſt nunc multò uberrimus: tu eum tua veriloquentia cæſaries ſtrenuè: ego arridendo, abblandiendo, omnia

approbando & laudando, evasi locuples. A. Non possent hæc incõmoda reges corrigere? S. Perfacilè, vellent modo. Sed aliis hi mores placent, quia suorum similes: alii ipsi sibi eas occupationes accersunt, per quas nunquã vacet recti aliquid aut sani cogitare: non desunt qui, remissis animis & dissolutis, non arbitrantur illius domus ac familiæ mores ad curam suam pertinere: quæ non pertinent profectò minùs, quàm ad vnumquẽque nostrũm sua domus privata.

PRINCEPS PUER.

Morobulus, Philippus, Sophobulus. XX

QVid agit tua celsitudo, Philippe? P. Lego & ediſco, vt ipse intueris. M. Intueor sanè, & cũ dolore: defatigas te, & maceras generosissimũ istud corpusculũ. Quid ergo agerẽ? M. Quod alii proceres, principes, viri nobiles & opulenti equitare, cõfabulari cum puellis augustæ matris tuæ, saltare, discere artẽ tractandi arma, lusitare foliis, aut pila, salire, currere: hæc vides esse studia nobilitatis jucundissima. Quodsi tantis oblectationibus fruuntur, qui vix digni sunt, vt in familiã tuam admittantur: quid te facere cõvenit, tanti principis filium & hæredẽ? P. Quid studiũ literarũ, nihilne prodest? M. Prodest quidẽ, sed iis, qui sunt initiandi sacris, aut qui ea arte victũ sunt sibi cõparaturi: quemadmodũ aliis sutoria, aliis textoria, & artes cæteræ quæstuariæ. Surge, quæso te, pone libros de manibus; eamus deambulatum, certè vt respires aliquantisper. P. Nõ licet mihi nunc per Stunicã & Siliceũ. M. Qui sunt hi, Stunica & Silice? an nõ subditi tui, in quos tu habes imperiũ, nõ illi in te? P. Stunica est educator meus: Silicus autẽ institutor literarius. Subditi sunt illi quidẽ mei, seu verius

ſed pater, cui ego ſum ſubditus, præfecit illos mihi, & me illis ſubjecit? M. Quid? ergo dedit pater celſitudinẽ tuam in ſervitutẽ illis hominibus? P. Neſcio. M. Ah facinus indigniſſimũ! S. Minimè verò, ô fili, imò illos fecit ſervos tuos, quos voluit tibi ſemper adhærere, oculos, aures, animũ mentẽ in te unum defixã gerere ſemper, & relictis ſuis quẽque negociis, tuum unius negociũ agere: non, ut te imperioſè vexent, ſed ut rudes tuos mores boni illi & ſapientes viri ad virtutẽ, decus atque excellentiã forment: non quò te reddant mancipiũ, ſed ut verè liberũ, & verè principẽ: quibus ſi non obtẽperaveris, tum demum ſervus eris, extremæ conditionis, pejor iis, qui hîc inter nos verſantur, emti & venditi ex Æthiopia vel Africa. M. Cujus tandẽ eſſet mancipiũ, ſi illis educatoribus morẽ non gereret? S. Non certè hominũ, ſed vitiorũ: qui domini ſunt importuniores atque intolerabiliores quo vis homine improbo & ſceleroſo. P. Non ſatis iſta intelligo, quæ dicis. S. At intellexiſti, quæ Morobulus. P. Planiſſimè omnia. S. O quàm eſſent homines felices, ſi, quàm citò habent ſenſum atque intelligentiã rerum leviũ & malarũ: tam citò haberent etiã bonarũ & conducibiliũ! Nunc verò contrà evenit, ætate iſta nugas, ineptias, imò inſanias, ad quas te Morobulus eſt adhortatus, facilè intelligis: quæ ego de virtute, de dignitate, de omni laudis genere dicerẽ, tã caperes, quam ſi Arabicè loquerer, aut Geticè. P. Quid ergo faciendũ conſuleres? S. Ut ſaltẽ ſuſtineres aſſenſionẽ, nec hujus ſuaſibus, nec meis acquieſceres, quoad de utriuſque poſſes judicare. P. Quis dabit hoc judicium? S. Ætas, inſtitutio, experientia. M. Hui, quàm eſſet longũ iſta exſpectare!

S. Bene

S. *Bene monet Morobulus: abjice libros, eamus lusitatũ: & ludemus ludũ, in quo unus eligitur rex: is præscribet aliis, quæ sint agenda, parent cæteri juxta leges lusionis: tu eris rex.* P. *Ut erit ludus? nam, si eum ignorẽ, quomodo potero regẽ in illo agere?* So. *Quid dicis, Philippule dulcissime, delicia Hispaniarum, in ludo & rebus levissimis, in quibus error nihil affert periculi, non auderes regnũ suscipere ludi nescius, & vis tot & tanta regna seriò capessere, ac regere, ignarus conditionũ, populorum, legum, administrationis, deniq; rudis totius prudentiæ, instructus solùm ridiculis ineptiis, quas tibi Morobulus hic in animũ instillat? Heus puer, dic præfecto equilis, ut proferat huc equum illum Neapolitanũ, ferocissimũ calcitronẽ, & sternacẽ, in quo Philippus sedeat.* P. *Minimè verò illum, sed aliũm cicuratiorẽ: nam regendi equi tam refractarii nondũ artem habeo, nec vires.* S. *Quæso, Philippe, & putas tu leonẽ ullum esse æquè ferocẽ, aut equum adeò calcitronẽ & refractarium, & minus parentem frenis, quàm gentes & cœtus hominũ? qui conveniunt & congregantur ex omni vitiorũ, flagitiorũ, & scelerum & facinorum generei ex animi perturbationibus concitatis, incensis, inflammatis ardentibus: equũ non audes attingere, populum poscis, quo vis equo ad regendum tractandúmque difficiliorẽ? Sed missa isthæc faciamus. Vides in hoc flumine illam cymbulã? navigatio est jucundissima atque amœnissima inter prata & salicta, quæso descendamus in eam, tu sedebis ad clavũ, & ages cymbã.* P. *Ita planè, ut vos subvertã, & demergã, quemadmodũ nuper fecit Pimentellulus.* S. *Nec cymbã quidẽ gubernare vis in amne tam modi-*

co, & tam placido, quia rudis, & cõmittis te mari illi, undis, fluctibus, tẽpestati populorũ, inscius & inexpertus: Planè usu tibi venit, quod Phaëthonti, qui aurigandi nescius, ardore juvenili currum patris sibi gubernandũ depoposcit: notã esse tibi fabulam reor. Præclarè Isocrates, duas res maximas in hominum vita dicebat esse, principatũ & sacerdotiũ: quas tamen nemo non expeteret tanquam dignus, nemo non crederet se rectè posse gubernare, tanquã prudentissimus. P. Intelligo, nihil èsse cõditioni ac personæ meæ perinde necessariũ, ut artẽ ac peritiam regendi regni. S. Probè rem tenes. P. Quomodo eam assequar? S. Eduxisti tu illã tecũ ex matris utero? P. Nihil minùs. S. Quomodo igitur scies, nisi discas? P. Nullo modo. S. Qua igitur fronte audet Morobulus hic esse tibi auctor, ut ea studia rejicias, quibus & artis hujus peritia & aliarũ rerũ maximarũ ac pulcherrimarũ cognitio paratur? P. A quibus ergo sunt hæc haurienda? S. Ab iis, qui ea maximis ingeniis animadverterunt, atque observarunt: quorũ alii sunt mortui, alii vivi. P. E mortuis quomodo discendum? possúntne mortui loqui? S. Nunquámne fando audivisti, nominari Platonẽ, Aristotelẽ, Ciceronẽ, Senecã, Liviũ, Plutarchũ? P. Magna nomina: sæpe, & cum ingenti admiratione ac laude. S. Illi ipsi, & alii permulti eorũ similes, jam olim vita functi, cõfabulabuntur tecũ, quoties & quam diu libuerit. P. Quomodo? S. Libris, quos ad docendam posteritatẽ reliquerunt. P. Quin dantur mihi illi jam in manus? S. Dabuntur brevi, posteaquam didiceris eum sermonẽ, quò possis loquentes illos intelligere. Sustine paulisper, atque hanc brevẽ molestiam perfer, quæ devoranda

randa est in accipiendis principiis: illico post incredibiles sequentur delectationes, quas qui nondũ degustarunt, mirandũ non est à literato studio abhorrere. Nam, qui sunt experti, eos citiùs à vita, quàm à libris & rebus cognoscendis avellieres. P. Cedò verò, qui sunt vivi, à quibus sapientia hæc discenda est, & mens bona? S. Si iter esses quopiam inturus, à quibus tandẽ de itinere percontareris? vtrùm ab iis, qui iter illud nunquam vidissent, an qui aliquando confecissent? P. Ab iis scilicet, qui confecissent. S. Vita hæc nónne est velut iter quoddam, & profectio perpetua? P. Sic videtur. S. Qui ergo iter hoc perambularunt, senes an juvenes? P. Senes. S. Senes igitur auscultandi. P. Omnes indifferenter? S. Acutè rogas, non omnes promiscuè: sed quemadmodũ de via, sic de vita: vtri norunt viam, qui eam peregerunt, nihil animadvertentes, aliud agentes, animo non minùs peregrinante quàm corpore: an qui annotarunt diligenter & attentè singula, & memoriæ mandarunt? P. Nimirum hi posteriore. S. Ergo in consilio de vitæ ratione capiendo non audiendi juvenes, qui iter hoc nunquam sunt ingressi, quantò minùs adolescentes, &, quod stultissimum est atque indignissimum, pueri? neque ad id admittendi senes imprudentes, lascivi, dementes, deteriores pueris: quos divina oracula exsecrantur, quòd sint pueri centum annorum. Solis præbenda aures senilis magni judicii, vsus rerum & prudentiæ. Phil. Quo signo eos dignoscam? S. Nimirum ætate ista, fili, nullo adhuc, sed, vbi majus & firmius accesserit judiciũ, facilè id cognosces ex verbis & factis, tanquã nota certissima. Interea verò, dũ ea ingenii facultate non vales, credẽ

vrede tè cunctũ & cõmitte patri tuo, & iis, quos tibi pater adjunxit institutores ac magistros, infirmæque istius ætatis gubernatores, & quasi manuductores per eam viam, quã tu nunquã iniisti. Nam patri, cui charior es quã ipsimet tibi, major est de te cura, quàm tibi ipsi: atque ad eam rem non solùm suo vsus est consilio, sed hominũ sapientũ. M. *Nimis diu tacui.* S. *Ita planè præter morẽ tuum, eamque rem ego jamdudũ vehementer demirabar.* M. *An non pater tuus Philippus, & rex Galliæ, & alii magni reges ac principes, sine literis & labore isto tam molesto, quẽ hic teneris tuis humeris inclementer imponit, regna & diciones suas regunt, & in officio continent?* S. *Nulla res tam facilis est, quæ non fiat difficilis, si invitus facias. Non est opera literis impensa laboriosa ei, qui libens eam subit: qui autẽ invitus, ei verò vel lusitare, & in locis deãbulare amœnissimis, grave ac intolerandũ est: tibi Morobulæ, nugandi avidissimo, & nugis semper assueto, serium aliquid vel agere vel audire, instar est mortis: vicissim alii cõplures vitã sibi existimarent acerbã, si ad istũ modũ vitæ suæ rationes instituerent. Quàm multi sunt, in aulis præsertim, quibus nihil est dulcius, quàm ociũ torpens atque inertissimũ? admovere manũ alicui operi, tormenti est loco: quàm multi vicissim in populis, qui emoriantur citiùs, quã sic dies omnes vacuos transigant? & celeriùs delassentur nihil agendo, quã ab intentione animi in negocium aliquod? Sed, vt respondeã tibi de Cæsare & rege Galliæ, audies à me in vniversum de senibus: quos posui, eos esse, qui spatiũ hoc vitæ decurrissent. Si omnes quotquot viam quã piã peregissent, concorditer narrarent, se per viam*

in locum

in locum incidisse plenũ difficultatis & periculi, ex quo saucii & pessimè affecti discesserint: quod si ejusmodi iter rursum essent ingressuri, nihil diligentiùs caverent, quã illud discrimen: quod tu censes, an non hominis foret amentissimi quũ eadẽ ipse via insisteret, non recordari tanti periculi, non illud devitare? P. Nondum teneo, quid velis. S. Faciam igitur planius exemplo: finge, esse supra flumen istud tabulã angustã pro ponticulo: referant tibi omnes, quotquot, equo insidentes, tentarint illã transire, decidisse in aquam, adiisse vitæ discrimen, ægrè esse extractos semivivos: intelligísne hoc? P. Bellissimè. S. Quid tu jam, an non tibi demens viderêre, si faciens illac iter, non ex equo descenderes, & effugeres periculum, in quod alios veniisse audis? P. Nimirum ita agerẽ. S. Et meritò. Quare tu jã ex senibus, qui maximè senserint incõmodum in vita, quid eos prætermisisse doleat, & vehementer pœniteat: omnes tibi vno ore respondebunt, qui aliquid didicerunt; Non plus didicisse: qui verò nihil; Non adhibuisse operã, vt aliquid scirent. In hanc querimoniam ingressi, non faciunt finẽ referendi, missos se fuisse à parentibus aut educatoribus, ad scholas & magistros literarum: sed tamen vanis delectatiunculis, vel lusionũ, vel venationũ, vel amorum, aut ejusmodi nugarum illectos, amisisse pulcherrimas è manibus discendi occasiones: itaque conqueruntur de fato suo, & sortẽ suam deplorant, ac semetipsos accusant, damnant, interdum quoque exsecrantur. Vides ergo, locum hunc desidiæ atque ignorantiæ esse in via hac vitæ maximè infestum & periculosum, vnúmque omnium præcipuè devitandum, quoniam quidẽ audis tam miserabiles

eorum

eorum querelas, qui in illum sunt collapsi: is est igitur omni cura & diligentia cavendus, & segnitie, ocio, deliciolis, nugis rejectis ac spretis, in studia literarum cultúmque bonæ mentis tota animi intentione incumbendum. Tu de hac re patrem tuum roga, tametsi juvenẽ adhuc: & tu, Morobule, tuũ, jam senem, intelligetis ex eis, veram esse meam sententiam.

LVDVS CHARTARVM SEV FOLIORVM.

VALD. Valdaura, Tamayus, Lupianus, Castelius, Manricus. XXI

QVàm asperũ tẽpus, quàm rigens & sævũ cœlum, quàm obscœnũ solum! T. Quid nos monet hic cœli ac soli habitus? V. Non egredi domo. T. Quid verò domi agere? V. Ad luculentũ focum studere, meditari, cogitare de rebus, quæ aliquid emolumenti afferant menti & probis moribus. C. Id quidẽ agendum præcipuè, nec aliquid debet esse homini antiquius. Sed, ubi ab intentione illa delassatus fuerit animus, quò divertes, hoc duntaxat tẽpore? V. Aliis quidẽ aliæ sunt animorum refectiones: ego verò lusu foliorum magnopere oblector ac recreor. T. Et hæc temporis qualitas eò invitat, ut abdamus nos in cubiculũ bene clausum, & obseptum undiquè à vento & frigore, lucente camino, mensa posita cum chartis. V. Au, minimè chartas. T. Lusorias dico. V. Istud placet. T. Tum pecuniæ promatur nonnihil, & calculi, ad cõputandum. V. Nihil opus erit calculis, si minutuli adsint numi. T. Ego nullos habeo, præterquã aureos & argenteos crassiores. V. Cõmuta aliquos ex argenteis minuta pecunia: heus puer, cape stuferos hos simplos, sesquiduplos, triplos, & à numulario cura nobis numos minutos, simplos, duplos, triplos,

non majores. T. Quàm nitidi sunt hi numi? V. Nimirũ recentes adhuc, & asperi. T. Cõcedamus in forum aleatorium, vbi omnia inveniemus parata. C. Non expedit, nam haberemus arbitros plurimos: quid refert ludas illic, an via publica. Consultius fuerit, vt recipiamus nos in cubiculum tuum, & accersamus ex sodalibus aliquot, maximè animo refocillando idoneos. T. Tuum cõclave est ad id cõmodius: nam in meo cubiculo subinde à pedissequis matris interpellaremur; aliquid semper quæritantibus in arcis mundi mulierbribus. V. In cœnatione igitur. T. Esto ita; eamus. Puer, siste hìc nobis Franciscum Lupianum, & Rodericum Mauricum, & Zoilastrum. V. Mane: minimè verò Zoilastrũ, hominẽ iracundũ, rixosum, clamosum, calumniatorẽ, & qui minimis de rebus excitat sæpe atroces tragœdias. C. Optimè profectò mones: nam, si adolescens talis recreationi se nostræ admisceret, non esset id ludere, sed seriò rixari: accerse igitur pro illo Rimosulum. V. Neque hunc: nisi velis, quæcunq; hìc fuerimus nugati, ante Solis occasum nota esse toti civitati. C. Tã bonus est præco? V. Etiam rerũ, quas scire nihil attinet: nam res bonas sacratius reticet, quàm mysteria Eleusinia. T. Veniant ergo Lupianus & Mauricus soli. C. Hi sunt belli sodales. T. Et mone illos, vt afferant secum numulos: quicquid est autẽ severitatis & serii, domi cõmendent Philopono tetrico: veniant facetiis, lepore, gratiis comitati. L. Salvi sitis, sodales festivissimi. V. Quid sibi vult cõtractio istæc frontis? exporrigite istos vulticulos: an non estis jussi cogitationes omnes literatas apud Musea deponere? L. Cogitationes nostræ literariæ sunt adeò illiteratæ, vt

eas Musæ, quæ sunt in Museo, respuant. M. Salvete. V. Salus est dubia; quando ad acies & pugnas vocamini, & quidẽ, quibus reges sint interfuturi. T. Este bono animo: crumenæ impetuntur, non jugula. L. Crumena plerisque est pro jugulo, pecunia pro sanguine ac spiritu, velut istis Caribus, quorũ vitæ cõtemptus instrumentũ est regibus ad exercẽdos suos furores. M. Nolo ego esse actor in hac fabula, sed spectator. T. Qui sic? M. Quia sum infortunatissimus, semper à ludo discedo victus & spoliatus. T. Scis, quid dicunt proverbio aleatores? ibi quærendã esse togam, vbi amiseris. M. Verum, sed periculũ est, ne, dum togam amissam quæro, perdã & tunicam & interulã. T. Accidit quidẽ hoc non raro: sed, qui non periclitatur, non ditescit. M. Ea est metallicidarum sententia. T. Imo etiam Jani medii Antverpiensis. V. Rectè habet: non possumus nisi quatuor ludere, sumus quinque, sortiemur, quis erit aliorũ spectator. M. Ego ero sine sortitione. V. Nihil tale, nulli est facienda injuria: non cujusquã voluntas id decernet, sed sors: cui primus rex obtigerit, sedebit ociosus spectator, & si quid inciderit cõtroversiæ, judex. L. Ecce vobis fasciculos duos foliorũ integros: alter est Hispaniensis, alter Gallicus. V. Hispaniensis hic non videtur justus. L. Quid ita? V. Quoniã desunt decades. L. Non solent illi habere, vt Gallici. Chartæ enim Hispanæ, quemadmodũ & Gallicæ, in quatuor sunt genera seu familias divisæ. Hispanæ habent aureos numos, carchesia, baculos, enses. Gallicæ, corda rhombulos, trifolia, vomeroulos seu palas seu spiculæ: est in quaque familia rex, regina, eques, monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas, ogdoas, enneas,

nneas. Gallica habent etiã decades, & Hiſpanis aurei & carcheſia potiora ſunt: pauciora contrà enſes & baculi. Gallis antè plura ſunt ſemper meliora. C. Quo luſu ludemus? V. Triumpho Hiſpanico, & diſtributor retinebit ſibi indicẽ chartam, ſi ſit monas aut imago humana. M. Sciamus jam, quis erit ludo excluſus. T. Probè mones, cedo folia: hoc eſt tuum, hoc iſtius, hoc Lupiani: tu es judex. V. Malim te mihi judicẽ, quàm colluſorẽ. L. Bona verba. Cur iſthuc quaſo? V. Quia es in ludendo admodũ vafer & cavillator: tum aiunt, te artẽ tenere cõponendi folia, vt tibi expediat. L. Non habet fraudẽ mea luſio: ſed imperitiæ tuæ induſtria mea videtur impoſtura: quod ferè ignaris contingit. Caterùm, quî tibi placet Caſtellus? qui ſimul ac lucratus eſt pauxillum pecuniæ, deſerit colluſores. T. Eludere eſt hoc quidẽ potiùs, quàm ludere. V. Levius hoc malum: nam, ſi vincatur, affixus erit ludo, clavo plùs quàm trabali. T. Sed luſuri ſumus bini, duo contra duos, quomodo erimus comparati? V. Ego ludi hujus inſciens, adhærebo tibi Caſtello, quẽ audio eſſe callentiſſimum. T. Adde etiam callidiſſimum. C. Non eſt hîc opus electionibus: ſorti ſunt cõmittenda omnia: quibus obvenerint plura puncta, adverſus eos pugnabunt, quibus pauciora. V. Eſto ita, aſſigna folia. M. Vt optaverã, ego & Caſtellus ab eadẽ ſtamus parte, cõtrarias tuentur partes Valdaura & Tamayus. V. Sedeamus, vti ſolemus, decuſſatè: da mihi illã ſellã reclinatoriã, vt quietiùs perdã. T. Appone ſcabella, aſſideamus jam: ſortire, cujus ſint prima partes. V. Meæ ſunt, diſtribue tu, Caſtelle. C. Quemodo? à ſiniſtra in dextrã, more Belgico? an contrà, Hiſpa-

no more, à dextra ad sinistrã? V. Hoc more, quoniã ludo Hispanorũ vtimur: & rejeciſtin' decades? C. Etiã, quot folia dabo ſingulis? M. Novena. Sed quænam erit ſponſio? V. Terni in ſingulas manus denarii, cum geminatione ſponſionis. C. Senſim, mi Maurice, nimiùm properas: non eſſet is luſus, ſed furor, vbi tantũ pecuniæ veniret in periculũ: quomodo tu poſſes oblectari in anxietate illa, ne tot numi tibi pereant? denarii ſinguli ſufficient, & auctus ſponſionis erit dimidii, nempe aſſiũ quinque. V. Rectè conſulis: ita nec nihil ludemus (quod eſt inſipidũ) nec, quod doleat; quod eſt acerbũ. C. Habetis ſinguli novena folia? cordiũ eſt familia dominatrix, & hæc regina eſt mea. V. Neſcio, quã felix eſt omẽ hoc: certè eſt veriſſimũ, dominari vulgò corda fœminarũ. C. Deſine ſpeculationes: reſponde ad hoc, augeo ſponſionẽ. V, Ludũ habeo diſſipatũ, & malè cohærentẽ: cedo tibi. T. Et ego itẽ: diſtribue tu, Maurice. V. Quid agis? non vertis chartũ indicẽ? M. Volo priùs meas cõputare, ne plures aut pauciores acceperim. V. Vnã habes plus juſto. M. Deponã. V. Non eſt ea lex luſus, ſed, vt vicẽ tuã amittas diſtribuendi, & tranſeat ad ſequentem: cedo folia. M. Non faciã, quandoquidẽ nondũ protuli indicẽ? V. Imò facies per DEVM. C. Apage, quid tibi venit in mentẽ, mi Valdaura? Jusjurandũ admiſcere rebus leviſſimis, quod vix graviſſimis rebus adhiberi convenit. M. Quid tu dicis, judex? L. Profectò ignoro, quid ſit in eo facto ſtatuendũ. M. Qualẽ judicẽ nobis præfecimus ſine judicio, ducẽ ſine oculis? V. Quid ergo fiet? M. Quid tandem, niſi vt mittam? Lutetiã, qui hac de re afferat nobis aliquod ſalutare conſultum? C. Miſce omnia, & rurſum invertite. T. O qualẽ ludum mitto de manibus: non

obveniet mihi hodie ſimilis. C. *Miſce probè iſthæc folia, & præbeto ſingulis attentiùs.* V. *Rurſum augeo ſponſionẽ.* T. *Num non prædixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parẽ? ſemper ſum infortunatiſſimus: cur ergo ludum vel aſpicia oculis?* C. *Hoc verò non eſt ludere, ſed ſe afflictare: hoc eſt reſici & recreari animum, ita concitari? ludum oportet eſſe ludum, non moleſtiã.* M. *Suſtine pauliſper, ne abjicias folia: nam eſt panicum.* V. *Reſponde igitur, an recipias.* M. *Recipio, & rurſum augeo.* V. *Quid tu ſperas me ferocibus tuis verbis protelare? non concedo.* M. *Effare tandẽ ſemel, & expeditè, admittiſne?* V. *Etiã, & quidẽ libentiſſimè: & animus inſtigat me tali ludo majore precio certare: ſed iſtud inter amicos ſufficit.* T. *Quid verò me non cõputatis inter vivos? adeò nulla eſt mei mentio?* C. *Quid igitur tu ad hæc, homo fœnee?* T. *Ego verò augeo mea ex parte depoſitum.* M. *Quid tu dicis, Caſtelle?* C. *Nunc me conſulis, poſteaquã tua opera depoſitum crevit immenſum: ego incrementum hoc non auderẽ hoc meo ludo ſuſtinere.* V. *Reſponde affirmate.* C. *Non habeo, quod ſic reſpondeam, ſed valdè ambiguè & dubitanter, & cunctabundè, & timidè, & diffidenter: eſtne ſic ſatis expreſſè dictum?* M. DEVM *immortalẽ, quanta copia! non tam denſa nuper cadebat grando. Sed quæſo te, periclitemur pauliſper.* C. *Experiamur, quando ita tibi placet: à me verò ne ſperaris magnã opẽ.* M. *Feres tamen, quas poteris, ſuppetias.* C. *Nihil neceſſe id habes admonere.* M. *Planè victi ſumus.* T. *Vicimus denarios quatuor: miſce.* V. *Addo aſſes quinque.* C. *Neſcio an cedam: nam ſcio me certè victum iri.* T. *Rurſum alteros quinque.*

C. *Quid tu ad hanc provocationẽ dicis?* M. *Quid dicam? fugio.* C. *Tu perdidisti proximũ ludũ, sine me hunc arbitratu meo perdere. Sentio, me esse inferiorem: sed sustinendũ est, quã diu aliquid videro superesse virium.* V. *Quid ergo dicis? recusas?* C. *Non, imò addico.* T. *Tu Valdaura, non nosti hunc Castellũ? superiorẽ habet ludum tuo: sed ita solet callidos provocatores illectare in suũ rete. Vide, ne quò progrediaris temere, ubi tenearis irretitus.* V. *Divûm fidẽ, quomodo potuisti divinare, folium mihi postremũ restare hujus nationis?* C. *Novi omnia folia.* V. *Non omnino isthuc incredibile.* C. *Ita planè novi à facie.* V. *Forsitan etiã à tergo.* C. *Nimiùm suspicios us es.* V. *Tu me facis: eat hoc cum tua bona venia.* T. *Dispiceamus, num quæ sunt chartæ aversæ maculatæ, unde possint noscitari.* V. *Faciam, quæso, nos ludendi finẽ: angit me hic ludus, tam infeliciter cedendo.* C. *Ubi voles: sed fortasse non in ludo est vitium, sed in tua imperitia, qui nescis ludũ scienter ad victoriã accõmodare, sed jacis folia absq; arte, ut sors tulerit, ratus, nihil interesse, quid priùs, quid posteriùs mittas, quid quo loco sis jacturus.* T. *Omniũ rerũ est satietas, etiã voluptatũ: & ego defessus sum jam sedendo: assurgamus aliquantisper.* L. *Cape testudinẽ hanc, & aliquid nobis cantilla.* T. *Quid tandẽ?* L. *De ludo quippiã.* T. *Carmen Virgilii?* L. *isthuc ipsum: aut, si mavis, Vivis nostri, quod ille nuper canebat deambulans in pomœrio Brugensi.* V. *Anserina voce.* L. *Cane tu olorina.* T. *Deus meliora: nam olor non canit, nisi fato jam urgente.*

Ludunt & pueri, ludunt juveneſque seneſque:
Ingenium, gravitas, cani prudentia, ludus.

Denique

Denique mortalis, ſola virtute remota,
Quid niſi nugatrix, & vana eſt fabula vita?

V. *Poſſum vobis cõfirmare, eſſe carmen bene expreſſum, tanquã ex ſpongia arida.* L. *Tanta cum difficultate cõponit carmen?* V. *Magna, ſive quòd raro, ſive quòd non libẽter, ſive quòd alio fert eum ingenii pronitas.*

LEGES LUDI.

VARIVS DIALOGVS, DE URBE VALENTIA.

Borgia, Scintilla, Cabanillius. XXII

VNde tu jam nobis, Scintilla jucundiſſime? S. *Lutetia.* B. *Qua tandẽ Lutetia?* S. *Qua tandem quæris? quaſi ſint multæ? Etiãſi ſit unica; ea quænã ſit, ignoro, aut ubi ſita.* S. *Lutetia Pariſiorũ.* B. *Pariſios nominari audierã, & quidẽ ſæpe, Lutetiã nunquã eſt ergo Lutetia, quos nos Pariſios dicimus? Ea igitur eſt cauſa, cur tu tam diu nulli es viſus Valentiæ, & potiſſimùm in ſphæriſterio nobilitatis?* S. *Alia ego vidi ſphæriſteria Lutetiæ, alia gymnaſia, alios ludos, longè iſtis veſtris utiliores ac præſtantiores.* B. *Ecquos quæſo?* S. *Triginta gymnaſia plùs minùs in Academia illa, omni eruditionis, ſcientiæ & ſapientiæ genere referta: doctos præceptores, juvẽtutem ſtudioſiſſimam, & optimè moratam.* B. *Vulgus ſcilicet hominũ.* S. *Quid tandẽ vocas vulgus?* B. *Fæcẽ plebis, filios ſutorũ, textorũ, tonſorum, fullonũ, & ejuſmodi artificũ atque operariorũ.* S. *Vos hîc, ut video, ex veſtra hac civitate metimini orbẽ univerſum, & eoſdẽ tota Europa exiſtimatis eſſe mores, quos hîc: dico, juventutẽ illic eſſe frequentiſſimam principũ, procerũ nobiliũ, & hominũ locupletiſſimorum, non ex Gallia modò, ſed ex Germania, Italia, Britannia, Hiſpania, Belgica, admirabiliter addi-*

tam ſtudiis literarũ, parentẽ inſtitutorũ præceptis & juſſis: quorũ mores non ſimplici tantùm admonitu formentur, ſed acri reprehenſione, quũ eſt opus, etiã caſtigatione, plagis, verberibus: quæ omnia accipiuntur & perferuntur animis moderatiſſimis, & vultu modeſtiſſimo. C. Audivi ſæpenumero ejuſmodi narrari mihi, quũ agerẽ in Gallia legatus Ferdinandi regis. Sed omitte quæſo nunc iſta: aut differ aliud in tempus: vides nos eſſe in ludo miraculi, cui eſt proximũ Carraſſorũ: hoc age, de pila ſit jam ſermo, oblectandi noſtri gratia. S. Amabo, ne aßideamus, ſed deambulantes colloquamur, quæ fuerit collibitũ: qua imus? hácne per divi Stephani, an illac ad portam regalẽ, & viſemus in regia Ferdinandũ ducẽ Calabriæ? C. Ne fortè optimi principis interpellem⁹ ſtudia ſapientiæ. B. Præſtabit mulas accerſere, ut vehentes loquamur. C. Ne amittamus quæſo uſum pedũ & crurũ: tempus eſt ſudũ ac ſerenum, & aura frigidiuſcula: ſatius erit pedeſtres quàm equeſtres incedere. B. Eamus hac igitur per divi Johannis Hoſpitalis, ad vicũ marinũ. C. Spectabimus obiter decoras formas. B. Apage, pedeſtres? erit dedecori. S. Majori eſt mea ſententia dedecori, viros pendere de judicio puellarũ rudiũ atque ineptarũ. C. Viſne, ut rectà eamus per plateã ficus & divæ Teclæ? S. Non, ſed per vicũ tabernæ gallinaceæ: nam in eo vico capio videre ædes, in quibus natus eſt Vives meus: ſunt enim, ut accepi, deſcendentibus ad ſiniſtrã poſtremæ in vico: & in viſam eadẽ opera ſorores ejus. B. Omitte nunc viſitationes muliebres: ſi mulierẽ vis alloqui, eamus potiùs ad Angelã Zabatã, cum qua erunt cõfabulationes literatæ. C. Utinã, ſi id cupitis, adeſſet Marchiona Zeneti. S. Si vera ſunt, quæ de illa, quũ

essem in Gallia, audivi, majus est id argumentum, quàm vt de illo tractari leviter, & ab aliud agentib⁹ vel possit, vel debeat. B. Ascendemus ad divi Martini, an descendemus per vicũ Vallesii, ad plateam villæ rasæ? C. Hac, inde ad sphæristeriũ Barzii, seu mavis Masconorũ. B. In Gallia habetisne ad hunc modũ ludos in publico? S. De aliis Galliæ vrbibus non possem tibi respondere: Lutetiæ, scio, nullũ esse: sed in privato multa, velut in suburbiis divi Jacobi, divi Marcelli, divi Germani. C. Et in ipsa civitate famosissimũ, quod vocant Bracchæ. B. Luditur eadẽ illic ratione, qua hîc? S. Eadẽ prorsum: nisi, quòd magister ludi præbet illic calceos, & pileos lusorios. B. Cujusmodi sunt? S. Calcei sunt coactilitii. B. Nõ essent hîc vtiles. C. Videlicet in via lapidosa: in Frãcia verò & Belgica luditur super pavimẽtũ laterib⁹ cõstratũ, planũ & æquabile. S. Pilei sunt æstate leviores: in hieme autẽ crassi, profundi, eum offendice sub mẽto, ne in agitatione vel elabãtur ex capite: vel decidãt in oculos. B. Offendimẽto hîc nõ vtimur, nisi quũ est vẽt⁹ vehemẽtior: sed quales habẽt pilas? S. Nullos ferè folles, vt hîc: sed sphærulas minores vestratib⁹, & multò duriores, ex corio albo: tomẽtũ est, nõ, vt in vestris, lanugo è pãnis tõsa, sed pili ferè canini: eámq; ob causam rarò luditur palma. B. Quomodo ergo percutiũt pilã? pugno, vt folles? S. Ne sic quidẽ, sed reticulo B. Cõfecto ex filo? S. Ex fidib⁹ crassiusculis, quales ferè sunt sextæ intestũdine: habẽt funẽ tẽsum, & reliqua, vt hîc in ludis domesticis: sub funẽ misisse globulũ, vitiũ est seu peccatũ: signa sunt bina, seu mavis metas: numeri quaterni, quindecim, triginta, quadraginta quinq;, seu antegressio, æqualitas numerorũ: victoria,

vt quũ dicitur, Vicimus signũ, & vicimus ludum. Pila autem vel ex volatu remittitur, vel ex primo resultu: ex secundo enim ictus est invalidus, & ibi fit signũ, vbi pila est percussa. B. Non sunt aliæ lusiones, quàm sphæra? S. In civitate, quot hîc, aut plures, sed inter scholasticos nulla alia permissu magistrorũ exercetur: sed interdũ clam luditur foliis & aciebus: pueruli talis, nequiores taxillis. Nos institutorẽ habebamus Anneũ, qui obscœno die lusum foliorũ concedebat: sed de illo, & in universum de lusione omni tulerat sex leges, quas descriptas in tabella appenderat in cubiculo. B. Ne graveris, rogo te, & eas nobis referre, quẽadmodũ alia feciſti. S. Pergamus deambulare: nam incredibili teneor desiderio patriæ aspiciendæ, tam diu à me non visæ. B. Conscendamus mulas, vt ambulemus cõmodiùs, tum etiã honestiùs. S. Honestatẽ hanc non emerim crepitu digitorũ. B. Ac ne ego quidẽ, vt verũ fatear, manum ob eam moverim: sed nescio, quo pacto magis id videtur decere nostras personas. C. Isthuc quidẽ rectè: sed sumus tres, & in angustis viis, aut hominũ frequentia, disjungeremur: vnde necesse esset vel interrumpi sermonẽ, vel multa semper à nostrûm aliquo non exaudiri, neque intelligi. B. Esto sanè ita: pergamus pedestres: ingredere per angiportũ hunc ad plateã Pegnarogiorũ. S. Optimé, inde per fabros claviles ad vicum dulciariũ, tum ad forũ fructuariũ. B. Quin potius olitoriũ? S. Vtrumque est, qui libentiùs oleribus vescuntur, vocent olitoriũ: qui fructibus, fructuariũ. Quæ amplitudo fori? quæ descriptio vendentiũ, & rerum venũ expositarum? qui odor ex fructibus? quanta varietas, mundities, nitor? non

possunt

possunt horti excogitari huic foro pares: quæ autem ædilis nostri & ejus ministrorũ solertia & diligentia, ne quis emtor fraude à venditore capiatur? Estne ille, qui mula vehitur, Honoratus Joannius? C. Non, vt arbitror: nam vnus ex meis pueris, qui eum modò convenit, reliquit illũ abdentẽ se in bibliothecã suã: qui, si sciret, nos vnà esse, non deesset haud dubiè nostro sermoni, & nostris ludis seria sua posthaberet. B. Profer tandẽ leges. S. Extricemus nos ab hac turba per plateã divæ Virginis redemtoriæ, ad vicũ fumalis, & divi Augustini, vbi minor est frequentia. C. Ne discedamus tam procul ab vrbis corpore: ascendamus potiùs pervicum crumenariũ ad clivũ, inde ad vicum militarẽ, & ædes familiæ vestræ. Scintilla, cujus parietes lugere adhuc videntur mihi heroëm illũ, comitẽ Olivanũ. B. Imò, luctu depositò, talẽ juvenẽ in tanti senis locum successisse, seriò triumphãt. S. O quàm juvat intueri curiam, & quadruplex forum, præfecti vrbis (quod jam ferè familiæ vestræ Cabanillæ hæreditariũ videtur) civile, criminale, & tercentũ solidorũ? quæ ædificia? quæ facies vrbis? B. Nusquã potes rectiùs ferre leges, quàm in foro & curia: êde tandẽ. Nam de laudibus, seu de admiratione potiùs nostræ civitatis: aliàs dicendi erit locus aptior. S. Prima lex, quando ludendum. Homo propter res serias est conditus, non propter nugas & lusus: lusus autẽ reperti ad reficiendũ animum lassum à seriis. Tunc igitur ludendum, quũ animus aut corpus erit defatigatũ: nec aliter sumẽdum, quàm somnus, cibus potus, & alia, quæ vires renovant ac reficiunt: alioqui in vitio est, quemadmodũ alia, quæ non suo fiunt tẽpore. Secunda lex, cum quibus

bus ludendũ. Quemadmodũ facturus iter, aut iturus ad conviviũ, diligenter dispicis, qui sint futuri sodales aut comites: sic in ludo animadvertendũ, cum quibus ludes, vt sint homines tibi noti: nam in ignotis magnũ est periculũ, & verũ proverbiũ Plauti: Lupus est homini homo, qui, qualis sit, non novit. Sint etiã belli, festivi, comes, cum quibus periculũ non sit ne rixeris, aut pugnes, aut aliquid vel facias vel dicas turpiter atque indecore, ne sint blasphemi in DEVM, aut dejeratores: ne in dictis spurci, ne quid ex cõtagione affricetur tuis moribus pravũ aut flagitiosum: denique sint ii, qui non aliã ad ludum mentem afferant, quàm tu: nempe vt à labore cõquiescas & levetur animus. Tertia lex, quo ludo. Primùm noto: nam in ignoratione non potest sabesse delectatio, nec ludentis, nec colluſorum, nec spectatorum: deinde, quod simul animũ reficiat, & corpus exerceat, si quidẽ tempus ac valetudo patitur. Sin secus; ludus sit in quo non omnia possit mera sors: insit etiã peritia, quæ possit casum corrigere. Quarta lex, qua sponsione. Nec nulla sponsione, quod est fatuũ, & celerrimè exsatiat: nec ita magnâ, quæ ipsa lusione inquietet animũ, & si vincaris, mordeat ac discruciet: non est hic lusus, sed carnificina. Quinta lex, quẽadmodum, vt, antequã ad ludendũ assideas, reputes, te ad refocillandũ animũ venire, in cujus aleã conjicias paueulos numos, hoc est, emas illis refectionẽ defatigationis. Cogita esse sortẽ, hoc est, variã, incertã, instabilẽ, cõmunem: nullã idcircò tibi fieri injuriã, si perdas, vt id feras æquo animo, ne contrahas vultum, & suffundas eum tristitia: ne prorumpas in conviciа & maledicta, aut adversus colluſorẽ, aut quempiam

piã ex ſpectatoribus: ſi lucrifacias, ne ſis in colluſorẽ inſolenter dicax: prorſum toto ludo ſis comis, hilaris, facet⁹, jocoſus, citra ſcurrilitatẽ & petulantiã, ne deſignificationẽ vllã fraudis, ſordiũ aut avaritiæ, in cõtentione ne ſis pertinax, minimè omniũ jurato, memor, rem illã totã (etiam ſi meliorẽ cauſam habeas) non eſſe tanti, vt nomẽ DOMINI *afferas in teſtimonium. Spectatores, memineris, eſſe velut judices ludi: ſi quid illi pronunciarunt, cedito, nullã edens notam improbationis: hoc modo & luſus fit delectatio, & probi adoleſcentis grata eſt educatio ingenua. Sexta lex, quàm diu ludendũ. Quoad ſentias animũ renovatũ jam, & reparatùm ad laborẽ, & vocat hora ad negocium ſeriũ. Qui ſecus faxit, improbe factum videri, velitis Quirites, jubiatis.* B. *Sicuti rogavit.*

CORPUS HOMINIS EXTERIUS.

Durerius pictor, Grynæus, Velius. XXIII

F *Aceßite hinc: nam vos nihil emetis, ſat ſcio; & eſtis mihi impedimento, quò minùs accedant emtores propiùs.* G. *Imò verò nos volumus emere: modo vel preciũ relinquas noſtro arbitratui, & tempus ipſe præſcribas: aut cõtra, nos tẽpus, tu pretiũ.* D. *Bella negociatio! mihi nihil eſt opus tricis ejuſmodi.* G. *Cujus eſt hæc imago, & quãti indicas?* D. *Imago eſt Scipionis Africani, & indico ſeſtertiis nummis quadringẽtis, aut non multò minoris.* G. *Quæſo, te, priuſquam verbo vno eam addicas nobis, examinemus artem picturæ: & hic Velius eſt ſeſquiphyſicus, pertißimus humani corporis.* Dur. *Jam dudum intelligo, me à vobis intricari: ſed interea, dum mercatores nulli adſunt, nugamini, quamũ libuerit.*

G. *Nugas*

G. *Nugas tu vocas peritiã artis tuæ: quid faceres alienæ?* V. *Primùm omniũ verticẽ cõtexisti capillis multis & planis, quũ vertex dicatur quasi vortex, à vertendis capillis, vt in fluviis videmus, quũ aqua se convolvit.* D. *Incepte, non consideras, eum esse malè pexũ, more illorũ temporũ.* V. *Brechma habet inæqualiter deflexum.* D. *Acceperat vulnus miles ad Trebiã, quũ servavit patrẽ.* G. *Vbi tu id legisti?* D. *In Decadibus Titi Livii amissis.* V. *Tempora sunt nimis tumentia.* D. *Cava essent signum dementiæ.* V. *Occipitium vellẽ videre.* D. *Verte tabulam.* G. *Cur dixit Cato inter cætera oracula: Frons occipitio prior est.* D. *Quàm estis fatui! an non in quovis homine priùs cernis frontẽ, quàm occiput.* G. *Quosdã priùs video aversos, quàm adversos.* D. *Et ego libẽter, vt tales emtores & milites.* V. *Cato sensit, præsentiã domini potiorẽ esse ad curationẽ rerum, quàm absentiam. Caterùm cur antias adeò longas?* D. *Loqueris de his caproneis?* V. *Etiam.* D. *Non habuerat multis mensibus tonsorẽ ad manũ, velut in Hispania.* V. *Glabellã hanc cur, contra ipsius verbi etymon, feciſti hirtã?* D. *Tu ipse vulsellis pilos detrahito.* V. *Et vibrissas exstantes extra nares: sed tu, quæ tua est versutia, culpã abs te rejicies in tonsorem.* D. *Inscie, non animadvertis, eos fuisse ætatis illius mores: severos, tristes, rusticanos?* V. *Imperite, non legisti, Scipionem hunc ex omnibus sui temporis hominibus exculti ssimum & politissimum fuisse, & amantẽ elegantiarũ?* D. *Expressus est, quũ exsularet Literni.* G. *Supercilium hoc est grande & conveniens Latio: cilium habet nimis cavum & genas depressas.* D. *Ex vigiliis castrensibus.* G. *Tu non solùm*

es pictor,

es pictor, sed rhetor, valde versatus in translatione criminum. D. Et vos, quantū intelligo, in criminationibus. V. Malas habet nimiū tumentes, & buccas istas. D. Inflat classicū. G. Et tu inflabas calicē, quū hæc pingeres. V. Imò verò vtrē, sed alibi fecisti pilosum: palpebras ferè nullas appinxisti. D. Ex morbo illi deciderunt. G. Quo morbo? D. Quære ab illius medico. G. Jámne intelligis, ob tuam tantam imperitiam detrahi debere de summa centum sestertios? D. Imò ob vestras cavillationes & interrogationes adeò molestas, addi ducentos oportere. V. Pupulas habet hic glaucas, atqui ego audivi cæruleas habuisse. D. Et ego cassias, vt minervā bellatricē. V. Hirquos feci nimiū carnosos & sinu humentes. D. Flebat accusatus à Catone. V. Mandibulæ sunt nimis longæ, & barba densissima ac profusissima; tum pilos dicas setas porcinas. D. Vos sine modo vllo estis loquaces, & argutuli cavillatores. Abite hinc: nam tabulæ non fiet vobis ampliùs copia. V. Amabo, mi Dureri, dum alios non habes licitatores, sine nos hîc cavillari. D. Qua mercede? V. Ascribemus ambo hîc tibi singula disticha, quò tabula fiat vendibilior. D. Nihil opus est meæ arti vestra cōmendatione. Nam periti emtores & picturæ intelligentes non emunt versu, sed artificiū. V. Sed nares habet nimiùm patulas. D. Erat iratus accusatoribus. V. Non videmus vallecula. D. Latet sub barba: ac ne mentū quidē cernitis, neque anthereonē. G. Horum omniū feci tu cōpendium beneficio grādis barbæ. V. Collū placet mihi rectum & musculosum, itē jugulī. D. Gratulandū est superis, quòd tibi aliquid probatur. V. At, ne nihil in hoc quoque desi-

derem,

derẽ, jugulos non habet ſatis cavos: quòd in Socrate Phyſiognomon annotatũ, tardi eſſe ingenii ſignũ pronunciavit. Armos iſtos voluiſſem paulò erectiores & ampliores. D. Non tam erat miles bellator, quàm imperator. Non audiviſti apophthegma hujus? de quo quũ milites quidam dicerent, non adeò eum eſſe valentẽ militẽ, ac imperatorẽ ſapientem is reſpondit: imperatorẽ me genuit mater mea, non militem. Sed diſcedite, ſi non eſtis emturi: nam video accedentes quoſdam negociatores publicanos. V. Eamus deambulatũ: & inter nos de humano colloquemur corpore, ſine Scipione ac tabula. Simus uaſus non decet generoſam faciem. G. Quid boſimus? quales fuerunt Hunni. V. Apage monſtra? G. Silones non ſunt minùs deformes. Perſa aquilos venerabantur propter Cyrum, quem ferunt eâ fuiſſe formâ. V. Ancon & cumpe ſunt in brachio, quod in crure poples & genu, lacertus inde vſque ad manũ, à cujus muſculis etiam crura dicuntur lacertoſa. G. Nonne is eſt cubitus, vt apud menſores? V. Eſt is quidẽ cubitus, & ancon ipſe cubitus. G. Unde ergo rex Rom. Ancus? V. Ab incurvo cubito. G. Manus ſequitur, maximum omniũ inſtrumentorũ, ſecta in digitos, pollicẽ, indicẽ, mediũ ſive infamẽ, minimo proximũ, minimum. V. Cur medius infamis? quid deſignavit flagitii? G. Inſtitutor noſter dixit, ſe quidem ſcire cauſam, nolle tamẽ ediſſerere, quòd eſſet turpis. Ne quæſieris igitur: non enim decet bonæ indolis adoleſcentes turpia ſcrutari. V. Atqui minimo proximum δακτυλικὸν Græci appellant, quaſi annularẽ. G. Ita planè: ſed in ſiniſtra, non in dextra, quòd in eo ſoliti eſſent olim annulos geſtare. V. Qua de cauſa? G. Aiunt, è corde protendi

protendi illuc vena: quæ cum annulo, redimitur, velut cor ipsum coronaturi. Nodi digitorũ sunt condyli, & pro pugni percussu vox ea usurpatur: inter nodos sunt internodia, & generali verbo artus, atque articuli. Tiberiũ Cæsarẽ memoria produnt, tam firmis fuisse digitorũ articulis, vt digito recens malum terebraret. V. Didicisti chiromantiam? G. Ne nomen quidẽ ipsum audierã: quid ita? V. Divinasses hic nobis aliud ex incisuris. G. Negavi me scire: & res sic habet, sed si nunc me nosse aliquid profiterer, & attentius manum tuã contemplarer, libenter me auscultares: & homini ejusce impostore imperitissimo fidẽ non omnino abrogares. V. Qui sic? G. Quia id est hominũ ingeniũ, vt libenter eos audiant, qui secordita vel eventura profitentur enunciaturos. V. Unde sunt Scævolæ? G. Quasi scæva, à scæa, quæ est sinistra. Aiunt, in sexu fœmineo esse scævas plures, quam in nostro. V. Quæ est vola? G. Cavũ manus, vbi incisuræ. V. Quid involare? G. Id quod tu agis: libenter furari, surripere, quasi vola abscondere, & quod rabiosa Lucretia, involare in oculos pediſſequarum. Reliquũ corpus, dempto capite, est truncus, & ex trunco thorax, concavũ pectoris vsque ad ventriculũ & costas: concavum quidẽ interius: nam exterius inter brachia & pectus, sinus est. Sub ventriculo est venter, & in ventre imo pecten, & pudenda. V. An non pudendus magis podex, sive anus? G. Utrũque pudendum: posterius ob turpitudinem, anterius ob flagitiũ & dedecus. Femur & vt olim loquebantur, femen, nunc malunt plurativè femina, à genu est crus, cujus os tibia dicitur: carnosum vero illud posterius, sura: postremo pes manui non absimilis: nam

& digitos habet, & volã, quæ & vestigiũ dicitur, & solum pedis. V. *Quid? num non vestigium, quod à pede imprimitur?* G. *Et illud ipsum, & solum pedis.* V. *Nostin', quæ sint in corpore virtutum sedes?* G. *Quæ tandẽ?* V. *In fronte pudor, in dextera fides, in genu misericordia.* G. *Planta pedis non est ipsum solum pedis.* V. *At sic putant multi.* G. *Atqui Plinius scribit, esse gentẽ, quæ sibi vmbrã faciat in meridie planta pedis, quã habent vastã admodũ atque enormẽ: qui fieri id potest?* V. *Profectò planta est, à cruris vertebra ad digitos.*

EDUCATIO. XXIV

Flexibulus, Grympherantes, Gorgopas.

QVánam gratia misit te huc ad me pater tuus? Gr. *Dixit, te esse hominẽ egregiè institutũ, sapienter educatũ, eáque de causa gratũ huic civitati: cupere se, vt ego eisdem, quibus tu, vestigiis insistens, perveniã ad similẽ favorẽ populi.* F. *Quomodo igitur te id assequuturũ censes?* Gr. *Ingenua educatione, quali te omnes prædicant esse præditũ. Adjecit pater, eam educationẽ magis decere me, quàm aliũm quemvis.* F. *Cedo, mi fili, quomodo ea in re venis à patre imbutus?* Gr. *Non tam me pater præceptis instruxit, quàm patruus quidã meus, vir senex, versatus multùm & diu in regiũ comitatibus.* F. *Quid ergo illi te docuerunt, mi fili & amice?* Go. *Vide, vir prudentissime, ne fortè per ignorantiã labatis in dictũ aliquod, aut factum stultum vel rusticanum, vnde amittas istud nomen optimè educati.* F. *Quid? támne leviter apud vos perit?* Go. *Vel vnica vocula, vnico flexu poplitis, vnica inclinatione capitis.* F. *Nimis est inter vos delicatum & infirmum;*

inter

inter nos enim multò est robustius & firmius. Go. Sic sunt uostra judicia, vt nostra corpora; quæ nullã ferunt offensionẽ. F. Imò, vt est videre, facilius ferunt corpora, quàm animi. Go. Fortasse tu non nosti hunc: ideò filium & amicum nominas. F. An non sunt hæc honesta nomina, & plena benevolentiæ? Go. Benevolentiæ credo, quã nos haud magni sanè facimus: sed non reverentiæ neque officii, quæ nos anxiè venamur: nam hic dominus solet appellitari, non amicus. An non animadvertis domini præfationem ante prænomen, & famulos versiculores? non annotasti in avi hujus solennibus parentalibus tot cereos, tot insignia, tot homines atratos? F. Quid? ergo affectas tu omnibus esse dominus, nulli amicus? Gr. Ita docuerunt me propinqui mei. F. Edat jam, mi domine, tua excellentia, præclara illa tuorum consanguineorum documenta. Go. Videris tu mihi puerum hunc naso suspendere: at non est quilibet: ne feceris. Gr. Primùm, esse me ex honestissima progenie, quæ nulli cedat per vniversam hanc provinciã: idcirco turandũ mihi diligenter, atque annitendũ, ne generẽ à majorum meorum virtute: illos parasse sibi magnum decus: nemini concedendo de loco, de dignitate, de auctoritate, de appellatione: me idẽ debere facere. Si quis quid velit de honore detrahere, pugnandum statim cum eo: de pecunia oportere esse largum atque adeò profusum, in honore astrictum & attentum: decere nihilominùs, me ac mei similes assurgere aliis, via cedere, ducere, reducere: nudare caput, poplitẽ incurvare: non, quòd alius quispiã id mereatur, à me sibi exhiberi, sed, quòd sic conciliabo mihi favorẽ hominum, captabo auraã popularẽ, & parabo illum, quẽ

tantopere geſtamus ſemper in ore & in corde honorẽ: in ea educatione ſitum eſſe diſcrimen nobilis, & ignobilis: quod nobilis ad illa omnia dextrè præſtanda inſtitutus eſt, atq; aſſuefactus, ignobilis agreſti more nihil illorum doctus eſt facere. F. *Et excellentiæ tuæ, domine, qualis videtur ejuſmodi inſtitutio?* Gr. *Qualis vero? niſi multo optima, & digna meo genere.* F. *Quid ergo eſt aliud, quòd à me requiras?* Gr. *Nihil planè reſtaret meæ ſentẽtiæ, niſi acceſſiſſet voluntas patris, qui juſſit prorſum, ſeu veriùs imperavit rigidè, ad te venirem, vt, ſi quid in hac educatione noſſes magis reconditũ, & quaſi myſteriũ ſacrati⁹, quo majus mihi decus acquirerem, in gratiã ſui ne gravareris exponere, quo familia noſtra, alioqui honeſtiſſima & celſißima, altiùs aſcenderet: quoniam ſunt non pauci novi homines, qui freti ſua opulentia, nactiq́ue dignitatẽ & honores, per divitias emerſerunt, adeo vt etiã audeant cum vetuſtate & decorib⁹ gentis noſtræ cõtendere.* F. *Facinus nefandum.* Gr. *Nonne?* F. *Vel cæco eſſet clarũ?* Gr. *Itaque novi illi homines ambulant comitati longo aſſeclarũ ordine, ipſi ſegmentati in veſtibus, vel bombycini villoſi interciſi, vel texti Attalici, vt nos nihil eſſe præ illis videamur, qui villato veſtimur, diſſimulandæ paupertatis gratia: præmiũ autẽ hujus tui laboris, ſi operã hanc navaris patri, erit, recipi te in numerũ noſtræ familiæ, & admitti ad illius gratiã & meã, vt procedente tẽpore aliquod à nobis accipias beneficiũ, ſiſq́ue ſemper in noſtra clientela, & quaſi tutela.* F. *Quid poteſt dici amplius aut optabilius? ſed cedo jã, ſi aperias caput, ac cedas via ac locũ, appelles blande, quæm ob cauſam eris gratus iis quibus cum verſabere?* Go.

re? Go. *Ob eam ipſam cauſam, quia hæc ago.* F. *Iſthæc omnia exteriora ſunt ſolùm ſigna, quæ denotant, aliquid eſſe in animo tuo, propter quod diligare: nam ipſa per ſe nemo diligit.* Gr. *Quid ni diligant omnes, qui ſunt honeſtæ converſationis, in mea præſertim nobilitate?* F. *Parum admodũ es progreſſus, (quod liceat inter nos dicere) & tu te perveniſſe jam arbitraris ad ſummũ.* Gr. *Nihil neceſſe habeo parare mihi literas atq; eruditionẽ, majores mei reliquerũt mihi, vnde vivam: quod ètiãſi deſit, non iſtis eſt mihi artibus quærendũ, tam ignobilibus, ſed haſtæ cuſpide & enſe diſtricto.* F. *Animoſè iſthuc quidẽ & fortiter: quaſi verò, qua es nobilis, non ſis futurus homo.* Gr. *Bona verba.* F. *Ecqua tandẽ parte tui es homo?* Gr. *Me toto.* F. *An corpore, quo non differs à belluis?* Gr. *Minimè.* F. *Non ergo te toto: ratione igitur & mente.* Gr. *Quid ni?* F. *Si hanc ergo ſinis incultam & ſilveſtrẽ, excolis autẽ corpus, & illi vni ſtudes: an non tranſis ab humana in ferinã conditionem? Sed ad id, de quo cœperamus loqui: nam hæc digreſſio, ſi vellem mihi indulgere, longiſſimè nos à propoſito abduceret. Verùm, quũ tu cedis de via, & nudas caput, qualẽ te eſſe alii exiſtimant?* Gr. *Nobilẽ, & generoſè informatũ atque inſtitutum.* F. *Nimiùm durus es, nihilne domi audiviſti de animo, de probitate, de modeſtia, de moderatione?* Gr. *In templo nonnunquam audivi de concionatoribus.* F. *Quũ illa abs te vident occurrentes fieri, judicãt, te eſſe adoleſcentẽ modeſtũ, probũ, bene de ipſis judicantẽ, de te autẽ moderatè, qua ex opinione naſcitur benevolẽtia & favor.* Gr. *Explicatiùs id quæſo.* F. *Huc pertinet mea ratio: ſi te homines exſtimarent*

adeo superbũ, vt si omnes contemneres præte, nudare tamen caput & genu flectere, non quòd ipsis is honor debeatur, sed quod te deceat: putas tu, vllũ fore, qui tibi haberet gratiã, aut te de honoris illa falsa simulatione diligeret? Gr. Quid ni? F. Quia id tu tibi præstas, & tua gratia facis non illorum? quis enim judicabit se devinctũ tibi de eo, quod pro te ipso feceris, non pro se? an ego honorẽ eum velut mihi impẽsum accipiã, quẽ tu tribuis opinioni de te, non meis meritis? Gr. Ita videtur. F. Ergo paratur benevolentia, si illi credant sibi honorẽ illum dari, non vt tu habearis comior ac nobilior: istud verò non fiet, nisi eam de te induxerint opinionẽ, quod tu illos esse patiores ducas te, & dignos, quibus tu concedas. Go. At non est ita tamen. F. Quantumcunque hoc sit falsum: in eo tamen necesse est eos falli, alioqui nunquã consequeris, quod tantopere expetis. Gr. Quæ igitur erit persuadendi via? F. Facilis, modo animũ sedulo advertas. Gr. Profer, quæso: nam ea de causa huc sum missus, & eris semper in nostra clientela. F. Nimis crudũ est hoc pomum. Gr. Quid tu mussas? F. Dico, viam esse vnicã: si sis talis, qualẽ te credi cupis. Gr. Qui istuc? F. Si vis aliquid calfacere, afferne fictum ignẽ? Gr. Non, sed verũ. F. Si scindere, an victũ in tela gladiũ? Gr. Non, sed ferreum. F. Non est igitur eadẽ vis rerũ verarũ, quæ fictarũ? Gr. Apparet, non esse. F. Nec tu idẽ effinges simulata moderatione, quod vera: nam falsa ipsa se aliquando produnt: vera semper sunt eadem. In ficta moderatione aliquid aliquando dices, aut facies publicè aut privatim, quũ tibi excides (neque enim semper te & vbique poteris observare) vnde fictus deprehenderis? &, quantũ priùs ignotus diligebare,

tantum, postea cognitus sis odio, & longè plùs. Gr. Quomodo ego mihi ipse indicã germanã illã animi moderationẽ, quã tu præcipis? F. Si persuaseris tibi id, quod res habet, alios esse meliores te. Gr. Meliores verò, ubi tandẽ? in cœlo credo: nam in terra pares sunt paucissimi: melior nemo. Sic audivi sæpe de patre & patruo. F. Multũ abducit vos à cognitione veri nominum ignorantia. Quid tu vocas bonum? ut sciamus, num sit aliquis te melior. Gr. Quid ego scio, quid sit bonũ? ex bonis esse progenitũ. F. Ignoras etiamnũ, quid sit bonũ? & jam tenes, quid sit melius: quomodo perveniſti ad cõparativa, quũ nondũ positiva didiceris? ipsos autẽ tuos progenitores quomodo scis fuisse bonos? qua tu id nota cognoscis? Gr. Quid? negas tu fuisse illos bonos? F. Non novi illos, quomodo de illorum bonitate possum aliquid in alterutram partẽ statuere? quæro modo, qua ratione assequaris tu, fuisse illos bonos? Gr. Quia ita omnes prædicant: sed quorsum, rogo te, pertinent tam molestæ interrogationes? F. Non sunt molestæ, sed necessariæ: ut accipias, quod ex me scisciteris. Gr. Confer, quæso te, in pauca. F. Multis esset id explicandũ, cujus tam crassa ignorantia involvetis: sed quando ita es fastidiosus, dicã breviùs, quàm res tanta dici postulat: defige jam oculos tuos in me, dum differo. Qui sunt dicendi eruditi? an non ii, qui habent eruditionẽ? qui opulenti? an non qui habent opes? Gr. Indubiè. F. Qui ergo boni? num non ii demũ, qui habent bona. Gr. Ii planè, F. Missas nunc divitias faciamus, quæ non sunt vera bona: quæ si essent, multi patre tuo inveniretur meliores: & negociatores ac fœneratores præstarent bonitate viros bonos & sapientes.

Gr. *Sic videtur, vt dicis.* F. *Expende ergo attentè ac diligenter singula eorũ, quæ referã: an non est bonũ, acutum ingenium, sagax, maturũ judicium, integrum, sanum: tum eruditio varia, & magnarum rerum atque vtiliũ prudentia, exercitatio in rebus præstantibus, consiliũ, dexteritas in exsequendis negociis: quid tu de istis?* Gr. *Vel sola nomina videntur mihi pulchra profectò & magnifica: quantò magis res ipsa?* F. *Age porrò, quid sapientia? quid religio? pietas in* DEVM, *in patriã, parentes, necessarios? justitia, tẽperantia, liberalitas, magnanimitas, contẽtus casuum humanorũ, & fortis animus in adversis: quid verò ista?* Gr. *Præstantissima etiã hæc.* F. *Hæc sola sunt hominis bona: nam reliqua omnia, quæ cõmemorari possint, bonis & malis sunt cõmunia, atque ea de causa nec bona: quæso, manda sedulò memoriæ.* Gr. *Faciam.* F. *Pervelim, nam ingeniũ tuum non malum est, sed non bene excultũ. Reputa igitur cum animo tuo, an tu hæc habeas, &, si habes, quàm pauca, & ea, quàm tenuiter: quod vbi examinaveris acutè ac subtiliter, intelliges tum demũ, te non magnis nec multis esse bonis ornatũ ac instructũ, nec esse in populo, qui pauciora habeat, quàm tu. Nam in multitudine alii sunt senes, viderunt atque audierunt multa, habent experimenta rerũ plurimarũ: alii studiosi, qui ingeniũ discendo exacuunt & expoliunt: alii capessunt rẽpubl.: alii libenter & diligenter versant scriptores profuturos: alii sunt sedulí patres familiâs: alii alias artes profitentur & præstant: vel ipsi agricolæ, quàm multa ex arcanis naturæ tenent? naturæ verò cursum dierũ ac noctiũ, naturã ventorum, positus terrarũ & marium: alii ex multitudine*

sunt

sunt viri sacri & religiosi, qui numẽ piè venerantur ac colunt: alii res prosperas moderatè rexerunt, & fortiter pertulerunt adversas: quid horum tu nosti? quid exerces? quid præstas? nihil omnino, præterquã illud: Nemo est melior me, bono sum natus genere. Qui potes esse melior, qui nondũ es bonus? nec pater tuus, nec avi tui, aut proavi, fuerunt boni, nisi hæc habuerunt, quæ recensui: quæ an habuerint, tu videris: ego multũ dubito. Sed, si habuerint, tu certe non eris bonus, nisi illorũ fias similis. Gr. *Planè terruisti & pudè feciſti me: non invenio, quod possim vel hiscere in contrariũ.* Go. *Nihil horũ intellexi, tenebras mihi offudisti ante oculos.* F. *Nimirũ venis ad hæc nimis durus, & longè diversis opinionibus infectus & mancipatus. Sed tu adolescens, quo te nunc tandẽ nomine censes appellandũ? dominũ an mancipiũ?* Gr. *Mancipium: nàm, si ita est, vt dixeruisti, & intelligo nihil esse verius: cõplures sunt servi multò potiores ac præstantiores me.* F. *Hæc ne leviter deguſtes, confer te domũ, & solus tecum revolve, excute, perpende: quò magis versaveris, hoc veriora & certiora esse intelliges.* Gr. *Obsecro te, adjice alia, si qua habes: nam momento horæ sentio me adeò immutatum, vt prorsum videar mihi jam esse alius.* F. *Vtinam contigerit tibi, quod Polemoni Philosopho.* Gr. *Quid illi contigit?* F. *Vna Xenocratis oratione ex nequissimo factus est sapientiæ ac virtutũ omniũ studiosissimus, evasitque magni nominis philosophus, & Xenocratis in academia successor. Sed tu, mi fili, vbi apertè cognoveris, quantũ tibi ad bonitatẽ desit, quod aliis multis supereſt: verè & ex animo cedes aliis, & in eis honorabis bonitatẽ, qua vides illos ornatos, te*

Jam & ex reputatione tui ipsius vilesces tibi ac sordebis, adeò vt nemini occurras tam abjecto contemtoque, quẽ non tibi anteponat conscientia tuæ mentis: non enim adduci poteris, vt credas, quenquã esse pejorẽ te, nisi quòd illius malitia & nequitia protulit se foràs: tua delitescit cautiùs. Gr. *Quid tum sequitur?* F. *Hæc si feceris, verã ipsam solidámque ingenuã educationẽ atque vrbanitatẽ, seu, vt nunc loquimur, aulicitatẽ assequêre: eris gratus & charus omnibus, sed id non jam magnifacies: eris autẽ, quod vnicè tum tibi erit curæ, gratus DEO immortali.*

PRÆCEPTA EDUCATIONIS.

Grympherantes & Budæus. XXV

QVanam est istha tanta & tam subita mutatio? inter Ovidii Metamorphoses posset referri. G. *In pejúsne, an in melius?* B. *In melius meâ sententiâ: siquidẽ ab exteriore cultu, gestu, verbis, actionibus, bonã mentẽ licet æstimare ac colligere.* G. *Est ergo quod mihi possis gratulari, sodalis jucundissime?* B. *Ego verò & gratulor tibi, &, vt pergas, exhortor, magnáque in dies bonæ istius frugis vt capias incrementa,* DEVM *ac divos omnes cõprecor. Sed amabò, ne invideas familiari tam charo artẽ adeo præstantẽ ac præclarã, quæ brevi tẽpore tantũ humano pectori probitatis instillet.* G. *Ars & fons rivi hujus vberrimus est Flexibulus, si eum nosti.* B. *Quis non norit virum, vt à patre & majoribus natu audivi, ingentis prudentiæ atq; vsus rerũ, huic civitati non notũ modo, sed charũ & in paucis venerabilem? O te felicẽ, qui illũ propiùs andiveris & sis cum eo familiariter versatus, vnde tantũ retuleris fructus ad rectã cõpositionẽ morũ!* G. *Quantò tu felicior, cui hæc domi*

nascuntur,

nascuntur, quod aiunt: & potes non semel aut iterũ, vt ego, sed quotidie, quoties libuerit, talẽ patrẽ audire, maximis & vtilissimis de rebus sapienter differentẽ. B. Omitte nunc ista: de te & Flexibulo procedat sermo institutus. G. Taceamus igitur de patre tuo: quando ita est tibi cordi, redeamus ad Flexibulum: nihil viri illius sermone dulcius, nihil consiliis cordatius, nihil præceptis grauiꝰ, prudentius, sanctiꝰ. Itaque gustu hoc, quẽ mihi ille de se præbuit, aucta & incensa est mihi mirũ in modũ sitis hauriendi ex tam dulci fonte sapientiæ. Narrant, qui orbẽ terrarũ describunt, fontes esse admirabilis ingenii ac naturæ, alios inebriare, alios ebrietatẽ tollere, alios stuporem immittere, alios somnũ: fontẽ hunc hanc ego vim habere sum expertꝰ, vt ex bruto efficiat hominẽ, ex perdito & nequã frugi, ex homine angelũ. B. Possémne & ego ex eodẽ fonte aliquid vel extremis labris delibare? G. Quidni possis domũ tibi, vbi habitet, commonstrabo. B. Isthuc quidẽ aliàs: tu verò inter deãbulandũ (aut desideamus, si lubet) aliquot mihi refer ex illius præceptionibus, quas optimas esse & potißimas censeas. G. Equidẽ recensebo lubens, cùm vt tibi gratificer & prosim, si queã: tum ad meã recordationẽ. Primùm omniũ docuit me, debere vnũquẽque non magnificè de se sentire, sed moderatè, seu veriùs demisse: hoc optimæ educationis, ac veræ comitatis solidũ fundamentũ esse ac propriũ. Hinc navare operã, vt animũ excolat atque exornet cognitione rerũ, scientia & exercitamentis virtutũ: alioqui hominẽ non hominẽ esse, sed pecus. Rebus sacris interesse, cum maxima attentione & reverentia. Quicquid illic sive audias sive vsdias; existimare

magnum,

magnũ, admirabile, divinũ, & quæ captum tuum exsuperent. Crebrò te CHRISTO cõmendare precib⁹, in illo spem & fiduciã tuam omnẽ collocandã. Parentibus obsequentẽ te præbere: inservire illis, ministrare, & quacunque valeas, cõmodare, prodesse, adjuvare. Magistrum colere ac diligere tanquã parentẽ, non corporis, sed (quod amplius est) mentis. Ministros Domini revereri, illorúmq; doctrinæ audientẽ se exhibere: qui referunt nobis personã apostolorũ, atque adeo Domini ipsius. Senibus assurgẽdum, caput nudandũ, attentè illos auscultandum, à quibus ob diutinum vsum rerũ collecta sit prudentia. Magistratus honorare, illisque aliquid imperantib⁹ dicto esse audientẽ, quibus cura nostri à DEO est cõmissa. Viros magni ingenii, magnæ eruditionis, probos, suspicere, admirari, colere, bene illis cupere, & amicitiã illorum ac familiaritatẽ expetere, ex qua magni fructus reportentur: & is potissimùm, vt similes eorum evadamus. Denique iis, qui sunt in dignitate, deberi reverentiã: idcirco impendendã esse liberaliter ac libenter. Quid tu de hisce preceptis dicis?

B. Mea quidẽ sententia, depromta esse ex divite quodam prudentiæ promtuario. Sed dic mihi, an non sunt multi ad dignitatẽ evecti homines indignissimi, veluti sacerdotes non respondentes tanto titulo, & magistratus pravi, & senes stulti, ac deliri? Quid, quæso, de his sentiebat Flexibulus? an eodẽ esse honore prosequendos, quo potiores?

Gr. Non ignorabat Flexibulus esse tales non paucos, sed non concedebat ætati nostræ, vt nos inter ejusmodi & alios ponerem⁹ discrimen: nondũ tantum esse nactos nos vel ingenii vel prudentiæ, vt id possimus dijudicare: eam censuram & sapientibus esse viris relinquendã, & iis, qui-

bus illorũ eſt regimen cõmiſſum. B. Rectè hoc quidẽ, vt videtur. Gr. Addebãt, non debere adoleſcentẽ in nudando capite lentum eſſe, non in flectendo genu, nõ in vnoquoque honorificè appellando, non in comi ſermone ac moderato. Non decere multũ loqui apud majores natu, aut ſuperiores: id enim alienũ eſſe à reverentia illis debita: ſed tacitũ illos auſcultare, & ab eis haurire prudentiã, cognitionẽ rerum variarũ, rectã atque expeditã loquendi rationẽ. Breviſſima eſt ad ſcientiã via audiendi diligentia. Prudentis & ingenioſi eſſe, de rebus judicare, vniuſcujuſque de eo, quod probè novit: ideóque negabat, ferendũ eſſe adoleſcentẽ, ad pronunciandũ ac definiendũ proclivẽ debere illũ in ſtatuẽdo aut judicando, de re quantũcunque levi ac exigua, eſſe cunctabúndũ, ſeu potiùs timidum, cõſcium videlicet ſuæ ignorantiæ. Quod ſi, in judicio de re qualibet, par eſt adoleſcentẽ eſſe talem: quid fiet de literis, de diſciplinis, de legibus patriis, de ritibus, de moribus atq; inſtitutis majorum? de quibus non ſolùm ſententiã ferre juvenẽ, ſed nec diſputare aut vocare in quæſtionẽ ſinebat Flexibulus: non cavillari, non rationẽ repoſcere: ſed tacitè ac modeſtè obtẽperare: quod dictũ Platonis auctoritate fulciebat, magni in ſapiẽtia viri. B. Quid? ſi ſunt leges aut mores pravi, iniqui, tyrannici? Gr. Idẽ & de hoc Flexibulus diſſerebat, quod de ſenibus. Non ignoro equidẽ, aiebat ille, multos eſſe receptos in civitate mores parũ probabiles, ſanctas eſſe leges aliquas iniquas: ſed tu imperitus, inexpertus rerũ vitæ, quomodo id cẽſebis? nondũ eò perveniſti eruditione & vſu rerũ, vt de eo poſsis ſtatuere: fortaſſe, quæ tua eſt ignorãtia, vel animi libido, improbas eſſe leges judicabis, quæ

ſint rectiſſimæ &

& magno consilio statuta: rursum verò optimas, quas justū esset abrogare: sine illos de iis inquirere, disputare, definire, qui causam queunt de singulis probabilē reddere: tu id non potes. B. Ita est plane. Perge ad alia. G. Nullū esse decentiꝰ aut gratiosius adolescenti ornamentū, quā verecundiam: nihil impudentia tetriꝰ aut invisius. Magnū esse ætati nostræ ab ira periculū: ab ea nos ad turpes actiones corripi, quarū paulò post grauissimè pœniteat. Multū itaq; esse cū illa luctandū, quoad omnino prosternatur; ne nos ipsa prosternat. Ociosus homo, saxum: malè occupatꝰ, bellua: bene occupatus, verè homo. Homines nihil agendo malè agere discunt. Cibū & potum metiendū naturali desiderio famis aut sitis, non gulositate, aut pecuina libidine infarciendi corporis. Quid potest dici turpius, quàm hominē ea ingerere in suum corpꝰ, edendo & bibendo, quæ exuant illū humana cōditione, transferant in belluinā, aut etiā in stipitē? Compositio oris & cuncti corporis, quēadmodum animus sit intus habitus, loquitur. Sed ex universa exteriore facie nullū animi speculum aiebat esse certius, quā oculos: ideóq; cōvenire, illos esse sedatos & quietos, non elatos, nec dejectos, non mobiles, sed nec rigentes: faciem ipsam non torvitatem nec ferociam compositam, sed ad hilaritatē atq; affabilitatem. Sordes & obscœnitates abesse decet à vestitu, victu, cōvictu, sermone. Sermonē nostrum nec arrogantē ac pavidū, nec vicissim abjectum & effœminatum volebat esse: simplicē autem & minimè captiosum, non detortum ad pravas interpretationes: nam id si fiat, nihil erit, tutum loqui, & frangitur generosa loquendi indoles stultis ac ineptis cavillis. Manus, quū verba facimꝰ, non jactandas, non caput quatiendū, non crispandum

latus, non vultũ corrugandũ & distorquendũ, non pedes agitandos. Mendacio nihil dicebat esse tetrius, nec aliud aque abominabatur. Intẽperantia facit nos belluas, mendaciũ diabolos veritas semideos: à DEO natã esse veritatẽ, à Diabolo mendaciũ: nec est aliud ad vitæ cõmunionẽ perinde damnosum. Multò justiùs debere ab hominũ cõsortio pelli mendacẽ, quàm qui est furatus, aut qui aliquem pulsavit, aut qui adulteravit numũ. Quæ enim esse potest vel rerum ac negociorum cõtractio, vel cõsociatio sermonum cum eo, qui aliud loquitur, aliud sentit? cum reliquis vitiorum generib⁹ esse potest aliqua, cum hoc nulla. De sodalib⁹ & amicitiis adolescentũ multum ille loquabatur, & accuratè, non exiguum id esse momentum ad probitatẽ, aut flagitia nostræ ætatis: transire ad nos amicorum nostrorum & sodalium mores tanquã cõtagio: & tales nos ferè fieri, quales ii sint, quib⁹ cum versemur: idcirco eam in rem magnã esse diligentiã atq; operã navandam. Nec permittebat nobis, vt ipsi amicitias & familiaritates deligerem⁹: sed vt à parentibus, aut magistris, aut educatoribus nostris delectas & traditas acciperem⁹, & colerem⁹: illos ratione duci in eligendo, nos autem rapi pravâ animi aliquâ cupiditate, vel libidine: quodsi quo casu in necessitudines inciderimus inutiles aut noxias, à superiore auctoritate admonitos abjicere illas quãprimùm oportere. Dicebat ille quidem cùm alia permulta, magna sanè atque admirabilia, tum hæc ipsa diffusiùs & exactiùs. Sed hæc erat propemodum de rectâ adolescentiæ educatione summa.

FINIS.

annotations

~~Mechres filius~~ ~~et Jovenales filius jobis~~
~~[illegible] militatis~~

anotationes